PROLEGOMENA

IN DEMOSTHENIS QUAE FERTUR ORATIONEM ADVERSUS OLYMPIODORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CONRADUS RUEGER

BRANDISIENSIS.

LIPSIAE

TYPIS IULII KLINKHARDTI

1885.

Non vereor, ne sint, qui mirentur me mihi unam ex orationibus illis privatis, quae sub Demosthenis nomine circumferuntur, accuratius tractandam proposuisse. Quisquis enim in studiis Demosthenicis paululum versatus erit, eum animadvertisse puto has orationes privatas omnibus temporibus prae publicis iusto plus neglectas esse. Id maxime eo indicatur, quod multae earum hodie ne constat quidem, utrum genuina Demosthenis opera sint necne. Oratio adversus Olympiodorum, cum haec prolegomena conscribere statuerem, peculiari dissertatione non iam tractata erat; nam quae A. Schaefer et Blass de ea in libris suis de Demosthene[1]) disputaverunt, ea quamvis egregia, tamen ut librorum illorum ratio postulabat, generalia sunt neque accuratius singulas res pertractant. Interim autem in publicum prodierunt Uhlei quaestiones de orationum Demostheni falso addictarum scriptoribus[2]); quibus oratio nostra in examen multo diligentius vocatur et imprimis ratio dicendi singulari subtilitate et copia illustratur. Quodsi quaesieris, cur Uhlei commentatione typis expressa dissertationem meam non retinuerim: sperabam fore, ut sic quoque ad accuratiorem orationis cognitionem aliquantulum conferre possem. Nam Uhle in quaestionibus laudatis fere solam dicendi rationem respexit, contra causam quae agitur et quaestionem de auctore orationis paene prorsus neglexit. Itaque in has

---

[1]) A. Schaefer, Demosthenes und seine Zeit. Lips. 1856/8, vol. III,₂ pagg. 236 sqq. Blass, Die attische Beredsamkeit. Lips. 1877, vol. III,₁ (Demosthenes), pagg. 497 sqq.

[2]) Uhle, quaestiones de orationum Demostheni falso addictarum scriptoribus. Hageni Guestf. 1884. Particula I, de orationum XXXV. XXXXIII. XXXXVI—L. LII. LIII. LIX. scriptoribus.

potissimum res animum intendi ac priore capite disseram de causa, quae agitur in oratione adversus Olympiodorum, altero de auctore huius orationis.

Caput I.

De causa, quae agitur in oratione adversus Olympiodorum.[1])

Oratio adversus Olympiodorum, in libris manu scriptis *Κατὰ Ὀλυμπιοδώρου* inscripta, habita est contra Olympiodorum quendam ab eius affini, qui testante Libanio[2]) Callistratus appellatur. Huic si fides habenda est, causa, quae agitur fere haec fuit:

Callistrato fuit *οἰκεῖος* Conon e pago Halis[3]) oriundus, qui grandis natu post brevem morbum neque liberis neque testamento relictis moritur. Hereditatem eius Callistratus ex iure cognationis statim adit, sed ad funus procurandum affinem Olympiodorum, cuius sororem in matrimonium duxerat[4]), arcessit. Qui iam inter funeris apparatus actori de hereditate Cononis controversiam movet, dicens suam quoque matrem cum hoc cognatam esse itaque hereditatem eius sibi non minus competere quam Callistrato. Is re in concilio cognatorum transacta, ne odium et inimicitias affinis in se contrahat, dimidium hereditatis Cononis ultro cedit.[5]) Cum autem periculum esset, ne etiam alii hereditatem sibi postularent, in his

[1]) Eandem rem explicavere: Libanius in argumento huius orationis pagg. 1164, 17 sqq.; A. Schaefer l. l. pagg. 236 sqq.; Blass l. l. pagg. 497 sqq.; R. Dareste in II. volumine libri qui inscribitur: les plaidoyers civils de Démosthène traduits en français avec arguments et notes. Paris 1875, pagg. 1 sqq.; Caillemer, le droit de succession légitime à Athènes. Paris-Caen 1879, pagg. 172 sqq.; Weil, les harangues de Démosthène. Paris 1881, pagg. XI et XII; Uhle l. l. pagg. 18 et 19.

[2]) Argumenti pag. 1165,1 *Καλλίστρατος μὲν οὖν ὁ τὸν λόγον λέγων* —.

[3]) Duo erant Athenis pagi *Ἁλαί* a. *Ἀραφηνίδες*, b. *Αἰξωνίδες*; de utro cogitandum sit non patet.

[4]) Uhle l. l. pag. 48 falso dicit Callistratum Olympiodori filiam in matrimonio habere, cf. § 1 *ἀδελφὴν τούτου ἔχων* cl. 5, 8, 54, 57.

[5]) Cf. orationis §§ 5—8.

praecipue Callippus, frater Callistrati ex eodem patre natus (*ἀδελφὸς ὁμοπάτριος*), Athenis tum forte absens, Olympiodorus et Callistratus pactionem literis conceptam inter se faciunt, ut bona Cononis praesentia optima fide inter se partiantur, reliqua communiter quaerant et exigant neve ulla re alter alterum fraudent, ne omnino quidquam alter sine altero faciant, sed semper de communi consilio et sententia in tota re hereditaria communiter agant. Qua pactione sanctissimis iuramentis firmata et apud Androclidem quendam e pago Acharnis oriundum deposita Callistratus hereditatem in duas partes dividit, quarum altera constitit ex domo, quam ipse Conon habitaverat, et servis reticula texendi peritis (*τἀνδράποδα οἱ σακχυφάνται*), altera ex domo alia et servis medicamenta praeparandi gnaris (*τἀνδράποδα οἱ φαρμακοτρίβαι*). Olympiodorus optione sibi data sumit hanc partem, Callistratus illam accipit. Numeratae pecuniae quidquid Conon in mensa Heraclidis argentarii reliquerat, hoc paene totum in funus exequendum, sepulcrum constituendum similesque res insumtum erat.[1])

In numero servorum, qui Olympiodoro obvenerant, Moschion quidam fuit, qui fiducia, quam Conon in eo posuerat, abusus ei primum mille drachmas, deinde septuaginta minas furatus erat. Brevi autem post hereditatis partitionem cum suspicio in eum cecidisset atque iam in eo esset, ut a Callistrato et Olympiodoro tormento daretur, prius furtum fatetur et de mille drachmis sescentas ultro restituit, reliquum a se consumtum esse dicens. Huius pecuniae secundum pactum uterque sociorum dimidium accipit. Quo facto Olympiodorus contra pactionem solus, nescio affini, servum illum infidelem iterum tormento dat ac furtum secundum fateri sibique septuaginta minas integras restituere cogit. Callistratus hac de re certior factus etiam huius pecuniae semissem socium sibi secundum pactionem daturum esse existimabat; is autem hoc ut faceret cum commoneretur, tergiversatur atque excusationibus et simulationibus rem ducit.[2])

---

[1]) Conferas §§ 9—12.

[2]) Conferas §§ 14—20 a.

Interim nonnulli alii de hereditate Cononis eis controversiam moverunt, in his Callippus, frater Callistrati, qui e peregrino reversus statim dimidiam partem petit. Quo periculo imminente duo socii ex pacto communiter deliberant, quem admodum optime cum adversariis experiantur atque convenit inter eos, ut separatim pro se uterque agant, ita quidem, ut Olympiodorus totam hereditatem postulet, Callistratus autem dimidiam, cum etiam frater eius Callippus dimidiam dumtaxat partem postularet. Causa apud archontem rite instructa iam in eo erat, ut res in iudicio ageretur, neque tamen Olympiodorus et Callistratus ad litem satis praeparati erant. Tum occasio, ut opinabantur pulcherrima rei differendae iis se obtulit: placuit enim Atheniensibus, ut expeditionem in Acarnaniam mitterent, cui Olympiodorus cum aliis civibus interesse debuit. Quo profecto cum die statuta certamen hereditarium (*διαδικασία τοῦ κλήρου*) in iudicio agendum esset, Callistratus *ὑπωμοσίαν* instituit, h. e. iuramento interposito affirmavit affinem in iudicio apparere publico nomine impeditum itaque diem diffindi necesse esse. Sed cum adversarii per *ἀνθυπωμοσίαν* iudicibus persuasissent, Olympiodorum non publico nomine, sed litis causa abesse, Pythodotus archon, ut leges postulabant, petitionem eius abolevit. Quo facto propter pactionem cum Olympiodoro factam actor ipse quoque petitionem suam destituere coactus erat, quamquam ceteri petitores ad dimidium hereditatis quod vindicabat cedendum propensi erant. Sic Cononis hereditas his ab archonte adiudicata obvenit, qui statim omnia, quae actor et eius affinis possederant, occupaverunt exceptis septuaginta minis servo Moschioni extortis, quas obtinere non poterant.[1])

Olympiodorus ex Acarnania reversus cum indignationem de rebus, quae interim acciderant, effudisset, ad recuperandam hereditatem cum Callistrato denuo se coniunxit ac deliberatione communi habita constituerunt adversarios, quibus bona Cononis adiudicata erant, ex lege in novum certamen hereditarium deducere et deinde eodem modo quo in priore lite

---

[1]) Conferas §§ 20b—27, cl. § 41.

petitiones instituere, ita ut Olympiodorus in assem hereditatis ageret, Callistratus in semissem, cum etiam frater eius Callippus in semissem tantum ageret: uter victor e certamine discessisset, ex pactione inter ipsos facta cum altero lucrum ex aequo partiretur. Et impetrant, ut causa restituatur ac denuo in iudicio agatur. Olympiodorus primo loco orans quidquid ei libuit non modo dixit, sed etiam falsis testimoniis comprobavit, veluti aedes, quas Callistratus ex bonis Cononis pro sua portione accepisset, se ei locasse et nummos, dimidium sescentarum drachmarum servo Moschioni ereptarum, se ei mutuos dedisse. Callistratus inter totam Olympiodori orationem ne vocem quidem emisit et quaecunque ille quamvis falsa et ficta dixit, pacti memor silentio suo ut vera concessit. Hoc modo re instituta Olympiodoro facillime contigit, ut iudices deciperet et victoria de ceteris competitoribus reportata totam hereditatem Cononis recuperaret. Cum vero Callistratus eum adhortaretur, ut pacto servato solveret quae promisisset, neque de ipsa hereditate neque de septuaginta minis, quas Moschioni solus ignaro Callistrato extorserat, quidquam expendere voluit. Propterea is actionem, de qua oratio est, in affinem Olympiodorum intendit.[1])

Haec fere, si narrationem actoris sequimur, litis origo et rerum ordo satis implicatus fuit — „ποικίλην ἔχει περιπέτειαν πραγμάτων ὁ λόγος“ inquit Libanius initio argumenti. Id quod legentium quemque orationem primo obtutu maxime obstupefacit, inaudita nequitia et vix credibilis impudentia est, quae paene ex omni versu elucet. H. Wolf in adnotationibus ad orationis argumentum, pag. 1166, 19 summa indignatione captus exclamat: „Sed o miram impudentiam hominis, qui suam improbitatem confiteri non erubescat, et dissolutionem iudicum, si talia scelera ulti non sunt.“ A. Schaefer, Blass alii ex hac totius causae turpitudine grave argumentum repetiverunt, quo orationem non esse Demosthenis probarent; quod quo iure fecerint, infra videbimus. Utique dubitari vix poterit, quin oratio re vera habita et res quem admodum ab orante nar-

---

[1]) Conferas §§ 28—33, cl. 43—44.

rantur in universum verae sint. Attamen hoc statim praemittendum videtur propter mores perditos actoris, qui omnibus malis artibus, avaritia, dissimulatione, impudentia praeditus est, cavendum esse, ne verbis eius nimium tribuamus, praesertim eis locis, ubi suam ipsius rem probare et commendare, adversarii detrectare et imminuere studet.

De personis litigantium fere nihil scimus nisi quae ex ipsa oratione patent. Cives Athenienses eos fuisse vix opus est dici, quoniam id cum ex tota causa tum ex variis indiciis satis apparet.[1]) Callistratum et Callippum fratres A. Schaefer l. l. pag. 239 invenisse sibi videtur in duabus inscriptionibus posterioris aetatis; *Καλλίστρατος Παλληνεύς* memoratur in inscriptione anni Olymp. 113, 4 = a. Ch. 325 in numero diaetetarum publicorum, qui hoc anno a populo coronati erant,[2]) *Κάλλιππος Παλληνεύς* in inscriptione anni Olymp. 114, 2 = 323 in numero trierarchorum, qui hoc anno pecunias quasdam pro navibus reparatis sine ornatis curatoribus navalium solverant.[3]) Obstat huic opinioni A. Schaeferi quantum video nihil aliud nisi quod Callistratus et Callippus fratres, qui in nostra oratione memorantur, inferioris et vilioris ordinis[4]) fuisse videntur quam ut muneribus trierarchi vel diaetetae publici eos functos esse putemus. Ceterum utrumque nomen, et Callippus et Callistratus, Athenis frequentissimum fuit. Quod ad reliquos homines

---

[1]) Conferas v. c. § 24, ubi Olympiodorus expeditioni civium in Acarnaniam missae interfuisse dicitur.

[2]) Conferas Rossi l. qu. i. die Demen v. Attika, p. 5 = C. i. A. II, 2 p. 356: *Διαιτηταὶ οἱ ἐπὶ Ἀντικλ[έους] ἄρχοντος ἀνέθεσαν στεφανωθέντε[ς ὑπὸ τοῦ δή]μου — — — —*; sequuntur nomina singulorum diaetetarum, in fine:

Παλληνέες
Θεότιμος
Καλλίστρατος.

[3]) Cf. Boeckhi l. qu. i. Staatshaushalt der Athener III, pag. 545, Seeurkunden XVI[b] 215:

— — — — — — — — — — — — — — — — — — — —

παρὰ Καλλίππου Παλλη (νέως) ἐπισκευὴν τριήρους Στεφανούσης, Χαιρίωνος ἔργον, XHH. σκευῶν ξυλίνων, κρεμαστῶν, ἱστίου τῶν λεπτῶν, XXXXH.

[4]) Facultates Callistrati tum cum oratio nostra habebatur non ita magnas fuisse colligi posse videtur ex § 55 *αὐταὶ δὲ* (sc. uxor et filia actoris) *καταδεεστέρως περὶ ταῦτα* (sc. *χρυσία καὶ ἱμάτια*) *ἔχωσιν ἅπαντα.*

attinet, qui in oratione occurrunt, de solo Heraclide trapezita paulo plura scimus ex oratione adversus Apaturium [XXXIII]; ibi enim § 9 cl. 7 memoratur argentariam Heraclidis dissolutam esse.[1]) De ceteris certius quidquam indagari non potest, neque de Olympiodoro neque de Conone Halaeensi, qui hereditatem reliquit, neque de Androclide Acharnensi, apud quem pactio inter actorem et reum facta deponitur.

Bona, quae Conon Halaeensis reliquit, sita erant in Piraeeo, idquod ex § 27 apparet;[2]) duae domus, utraque cum numero servorum iuncta, sine dubio intellegendae sunt de minoribus fabricis, quales illis temporibus permultae Athenis erant;[3]) ad alteram earum pertinebant *τἀνδράποδα οἱ σακχυφάνται*, h. s. mancipia, quae reticula (Kopfnetze) texebant,[4]) ad alteram *τἀνδράποδα οἱ φαρμακοτρίβαι*, h. s. mancipia, quae medicamenta sive unguenta et odores parabant.[5]) Moschion, qui Cononi primum decem, deinde septuaginta minas surripuit, videtur locum superiorem inter ceteros servos obtinuisse ac simili munere functus esse atque Milyas ille, *ἐπίτροπος* in fabrica patris Demosthenis,[6]) id quod colligo ex eo, quod Conon tantam fiduciam in eo posuerat, ut fidei eius totam rem familiarem committeret.[7]) Pretium totius hereditatis quamquam

---

[1]) Cf. Schaeferum l. l. pag. 240 et Schulzii prolegg. in Demosthenis quae fertur orationem adversus Apaturium. Lips. 1878, pagg. 34 sqq.

[2]) § 27 *ἐπειδὴ δ' ἐπεδικάσαντο, εὐθὺς εἰς Πειραιᾶ ἐλθόντες παρελάμβανον πάνθ' ὅσα ἡμῶν εἶχεν ἑκάτερος νειμάμενος ἐν τῇ μερίδι.*

[3]) Cf. Buechsenschuetzi l. q. i. Besitz und Erwerb im Altertume, pag. 377. Boeckhium l. l. I pag. 55 not. d. C. F. Hermanni antiqq. III, § 13 not. 10, § 38 not. 12 saepius.

[4]) Pollux X, 192 *ὅταν Δημοσθένης εἴπῃ σακχυφάντας, τοὺς πλέκοντας ταῖς γυναιξὶ τοὺς κεκρυφάλους ἀκούουσιν.* Cf. Boeckh., Buechsensch. ll. ll. et imprimis Bluemneri l. q. i. Technologie u. Terminologie d. Gewerbe u. Künste bei Griechen u. Römern. Lips. 1875, vol. I, pag. 291.

[5]) Photius pag. 640, 16 *φαρμακοτρίβαι· οἱ βαφεῖς οἱ τὰ φάρμακα τρίβοντες ἢ οἱ τὰ φάρμακα πωλοῦντες.* Cf. Bluemnerum l. l. I, pag. 219 cl. pag. 354.

[6]) Cf. Demosth. oratt. adv. Aphob. I § 19 et III. Apud Aeschinem I § 97 servus eiusdem ordinis appellatur „*ἡγεμὼν τοῦ ἐργαστηρίου*".

[7]) § 14 *οὗτος ὁ οἰκέτης σχεδόν τι ᾔδει τά τ' ἄλλα τοῦ Κόνωνος ἅπαντα καὶ δὴ καὶ τὸ ἀργύριον οὗ ἦν, τὸ ἔνδον κείμενον τῷ Κόνωνι. καὶ δὴ καὶ ἔλαθε τὸν Κόνωνα πρεσβύτερόν τε ὄντα καὶ πεπιστευκότα αὐτῷ —.*

accurate finiri non potest, quia de magnitudine duarum domuum et de numero servorum nihil scimus, tamen haud dubie non ita exiguum fuit, praesertim si nummos a Moschione sublatos addimus. Hoc furto Moschionis simul id explicatur, quod post mortem Cononis numeratae pecuniae domi nihil repertum est, sed parva tantum summa in argentaria Heraclidis, ad funus procurandum et monumentum aedificandum insumta.[1])

De hereditate Cononis iam bis in iudicio actum erat, priusquam lis, de qua oratio adversus Olympiodorum est, a Callistrato intenderetur, et cum haec lis ex illis causis hereditariis originem duxerit, non a re alienum videtur de eis pauca praemittere.

Primum paucis explicandum est, quid iuris petentium cuique in hereditatem Cononis competiverit. Nominantur in numero eorum praeter orantem Callistratum Olympiodorus

---

[1]) § 12 *Ἀργύριον δ᾽ εἴ τι κατέλιπεν ὁ Κόνων φανερὸν ἐπὶ τῇ τραπέζῃ τῇ Ἡρακλείδου, τοῦθ᾽ ἅπαν σχεδόν τι ἀνηλώθη εἴς τε τὴν ταφὴν καὶ τἄλλα τὰ νομιζόμενα καὶ εἰς την οἰκοδομίαν τοῦ μνήματος.* H. Wolf hic [contra codicem Venetum Marcianum] scribendum censet *φανερὸν ἢ ἐπὶ τῇ τραπέζῃ*, „nam quae trapezitis dabatur, *ἀφανὴς οὐσία* fere dicitur." Contra recentiores C. F. Hermann (antiqq. III, § 14 not. 12), Dareste (l. l. II pag. 291) servant vulgatam docentes pecuniam in mensis depositam *φανερὰν* aut *ἀφανῆ* nominatam esse, prout vectigalis aut non vectigalis esset (De notionibus *ἀφανής* et *φανερὰ οὐσία*, cf. de lit. Att. ed. II, pag. 670, not. 519). Nostro igitur loco *ἀργύριον φανερὸν ἐπὶ τῇ τραπέζῃ* intellegendum esse de pecunia vectigali in mensa deposita. Sed mihi praeferenda videtur interpretatio H. Schaeferi multo simplicior, qui *τῷ ἀργυρίῳ φανερῷ* nostri loci oppositum censet *τὸ ἔνδον κείμενον* § 14. Similis oppositio etiam alias iuveritur, cf. Demosth. or. XXVII, § 55 *μανία γὰρ δεινὴ τὰ κεκρυμμένα εἰπεῖν μηδὲ τῶν φανερῶν μέλλοντα ἐπιτρόπους καταστήσειν. Τὰ κεκρυμμένα* spectat ad quattuor talenta a patre Demosthenis in aedibus occulta, de quibus infra § 56 dicitur: *τεττάρων δὲ ταλάντων ἔνδον ὄντων.* or. XLV § 30 *τῶν μὲν οἴκοι χρημάτων — τῶν δ᾽ ἐπὶ τῆς τραπέζης ὄντων, ἃ πάντες ᾔδεσαν καὶ λαθεῖν οὐκ ἦν.* — Eidem Schaefero assentior, quod § 15 lectionem traditam, „*ὑφαιρούμενος τὸ ἀργύριον*" defendit contra Reiskium scribentem „*τοῦ ἀργυρίου*" quia „non omnem pecuniam surripuerit Moschio, sed partem solum modo." Cui H. Schaefer recte haec opponit: „Immo homo furatus erat quidquid pecuniae domi esset; mortuo enim Conone Callistratus et Olympiodorus nihil nummorum acceperunt nisi quod ille Heraclidae crediderat." Cf. § 12.

affinis eius, Callippus, frater Callistrati ex eodem patre natus, et magnus numerus aliorum, qui non accuratius signantur.[1]) Quod tam multi bona Cononis petunt et quod de gradu cognationis, quo singuli petitiones suas fulciunt, nihil certi comperimus, inde colligi posse videtur Cononem propinquiores cognatos omnino non reliquisse, sed petentes omnes remotiore gradu eum contigisse. Hereditas ex iure hereditario ad eum deferenda erat, qui defuncto genere proximus erat (*γένει ἐγγυτάτω*). Hunc sese Callistratus esse dicit; quamquam quo gradu Cononem contingat neque de se neque de ceteris petentibus accuratius indicat. Cf. § 6 *καὶ ἐγὼ — συνειδώς, ὅτι οὐδεὶς ἦν ἄλλος τῷ Κόνωνι γένει ἐγγυτέρω ἐμοῦ*; paulo supra § 5 Cononem „*οἰκεῖος ἡμέτερος*“ nominat, unde nihil certi nosci posest. Olympiodorus matrem suam dicit cum Conone cognatam esse; sed actor hoc minime concedit summaque ira et indignatione inflammatur, cum Olympiodorus cognatione illa nisus postulet, ut hereditatis Cononis particeps fiat.[2]) Si vero in ipsam rem accuratius animum intenderimus atque omnia diligenter circumspexerimus, actoris ius minus certum ac firmum, contra rei ius melius ac validius esse inveniemus quam ex verbis illius videtur. Iam Libanius hoc indicat, cum ad verba illa § 6 *συνειδὼς ὅτι οὐδεὶς ἦν ἄλλος τῷ Κόνωνι γένει ἐγγυτέρω ἐμοῦ* in argumento pag. 1165, 3 adnotet: *ἀλλὰ τοῦτο μὲν τάχ' ἂν καὶ ψεύδοιτο καὶ λόγῳ καταχρῷτο ψιλῷ.*

Primum id constare videtur Callippum, fratrem Callistrati, eodem gradu quo hunc Cononi cognatum fuisse; nam ipse Callistratus diserte dicit se propterea in utraque lite hereditaria semissem tantum hereditatem petiisse, quod etiam frater

---

[1]) Cf. § 20 *ἕτεροί τινες ἔλαχον τοῦ κλήρου*, cl. § 21 *ἐπειδὴ πολλοὶ ἦσαν οἱ ἀμφισβητοῦντες.*

[2]) Cf. § 6 *ἐξαίφνης λόγον μοι προςφέρει Ὀλυμπιόδωρος οὑτοσὶ ὅτι καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ προσήκουσα εἴη τῷ Κόνωνι τῷ τετελευτηκότι καὶ ὅτι δίκαιον εἴη καὶ αὐτὸν τὸ μέρος λαβεῖν ἁπάντων ὧν ὁ Κόνων κατέλιπεν. καὶ ἐγὼ ὦ. ἄ. δ. συνειδὼς ὅτι ἐψεύδετο καὶ ἀναισχυντεῖν ἐπεχείρει — τὸ μὲν πρῶτον ὡς οἷόντε μάλιστα ὠργίσθην καὶ ἠγανάκτησα ἐπὶ τῇ ἀναισχυντίᾳ τοῦ λόγου. —*

Callippus semissem dumtaxat petiverit.[1]) Praescripsit autem lex, ut inter plures ei, qui pari cognationis gradu nisi hereditatem postularent, non in assem, sed in aequam quisque partem agerent, velut si duo essent, in semissem uterque, si tres in trientem quisque cet. Documento huic rei est quod his in iudicio una tantum sitella (*καδίσκος*) ponebatur.[2]) Quodsi Callippus non pari gradu Cononem contigisset, quid Callistratum impedivisset, quominus sicut Olympiodorus totam hereditatem sibi vindicaret?

Deinde Callistratus Olympiodorum sua sponte ad funus Cononis procurandum arcessivit:[3]) quod certe non fecisset, si Olympiodorus non inter proximos Cononis cognatos fuisset. Imperabat enim lex Solonis proximis cognatis defuncti, qui hereditatem eius accepturi essent, ut exequias instituerent atque omnia iusta facerent (*τὰ νομιζόμενα ποιεῖν* § 6). Ad hanc legem provocantes oratores saepe ex eo, quod quis haec iusta fecit aut non fecit, demonstrant hereditatem quoque ei adiudicandam aut non adiudicandam esse. Cf. Isae. de Nicostrati hered. § 19 *πῶς οὐκ ἀνοσιώτατος εἴη, ὅς τῷ τεθνεῶτι μηδὲν τῶν νομιζομένων ποιήσας τῶν χρημάτων αὐτοῦ κληρονομεῖν ἀξιοῖ.*[4]) Quin etiam evenit, ut ei qui officium funeris procurandi sibi solis ut proximis cognatis et legitimis heredibus defuncti competere putabant, alios qui una cum eis illud

---

1) Cf. § 22 cl. § 30 *ἔδοξεν ἡμῖν — τουτονὶ μὲν Ὀλυμπιόδωρον τοῦ κλήρου ὅλου ἀμφισβητεῖν, ἐμὲ δὲ τοῦ ἡμικληρίου, ἐπειδὴ καὶ Κάλλιππος ὁ ἀδελφὸς ὁ ἐμὸς τοῦ ἡμικληρίου μόνον ἠμφισβήτει.*

2) Cf. Isaei de Hagniae hered. § 21 *τοῖς δὲ κατὰ ταὐτὰ ἀμφισβητοῦσιν εἷς τίθεται καδίσκος.* De lite Attica pagg. 723 sqq. ed. II pagg. 611 sqq.

3) § 5 *καὶ ἐγὼ ἐπειδὴ ᾐσθόμην ὅτι οὐχ οἷός τε ἔσται περιγενέσθαι* (sc. *ὁ Κόνων*), *μετεπεμψάμην τουτονὶ Ὀλυμπιόδωρον, ὅπως ἂν παρῇ καὶ συνεπιμελῆται μεθ' ἡμῶν ἁπάντων ὧν προσήκει.*

4) Pseudo-Demosth. c. Macart. § 65 *ὑπεραναίσχυντον δή' οὗτοι κατασκευάζουσι πρᾶγμα ὡς ἄρα δεῖ ἡμᾶς — τοῦ μὲν σώματος τοῦ Ἁγνίου, ὅτ' ἐτετελευτήκει κληρονόμους εἶναι καὶ ποιεῖν ἅπαντα τὰ νομιζόμενα, ὡς προσήκοντας καὶ γένει ὄντας ἐγγυτάτω, τὸν δὲ κλῆρον οἴεσθαι δεῖν ἔχειν τὸν Ἁγνίου — Μακάρτατον.* Plura invenies apud Schoemannum ad Isaeum, pag. 389. De lite Attica ed. II pag. 601.

officium praestare volebant, vi prohiberent.[1]) Quod si nobiscum reputamus, num credibile est Callistratum affinem ad funus Cononis sua sponte adsumpturum fuisse, nisi is ius quoddam huius rei habuisset, h. e. nisi inter proximos Cononis cognatos fuisset? Nonne potius, si Olympiodorus re vera *ἔξω τῆς ἀγχιστείας* fuit, a sepultura eum prohibuisset, ne forte postea in iudicio ex eo, quod funeris procurandi particeps fuisset, praeiudicium repeteret?

Denique contra Callistratum facit aliquatenus etiam eventus alterius litis hereditariae, quem quamvis actor sua maxime opera effectum esse dicat, tamen vix putem Olympiodoro tam prosperum futurum fuisse, si petitio eius omni iusto fundamento caruisset. Quidquid igitur actor dicit sese neminem Cononi genere propiorem et iure meliore fuisse, equidem persuasum habeo fratri Callippo certe idem, affini Olympiodoro autem fortasse etiam melius ius in hereditatem Cononis competisse.

Soror Olympiodori, Callistrati uxor, eodem gradu quo ille Cononi cognata iure Attico a successione exclusa erat, quoniam heredibus masculis superstitibus mulierum eiusdem gradus ratio nulla habebatur.[2]) Item filiae Callistrati patre superstite ius nullum competivit.[3])

Transeamus nunc ad ipsas lites hereditarias, quarum prior describitur §§ 20b—27 cl. 41 posterior §§ 28—31 cl. 43—44. Lites hereditariae ad genus actionum privatarum pertinent, ab his autem nonnullis rebus, quas statim indicabimus, diversae sunt.

Hereditatum in universum duo genera distinguuntur *κλῆροι ἀνεπίδικοι* et *κλῆροι ἐπίδικοι*. *Ἀνεπίδικοι* h. e. nulli liti obnoxiae erant hereditates eorum, qui liberos naturales aut inter vivos

[1]) Pseudo-Demosth. adv. Leocharem § 32 *καὶ τὸ μὲν ποιεῖν τι τῶν νομιζομένων ἐκώλυσεν ἡμᾶς τῷ τετελευτηκότι* Isae. de Cironis hered. § 24.

[2]) Conf. Bunseni l. de iure hereditario Atheniensum, pag. 17.

[3]) § 57 unam Callistratus filiam memorat, cum § 8 de pluribus liberis dicat „*τῶν ἐμῶν παίδων*". Ad quae haec Reiske adnotat: „Mos nempe oratorum Atticorum est, ut causam dicentibus plures liberos tribuant, tametsi modo singularis proles iis sit, exaggerandae rei ergo aut movendae tanto magis commiserationis vel etiam futuram prolem, quae adhuc speraretur, cum praesente complectebantur."

adoptatos reliquerant: his liberis licuit hereditates *ἄνευ δίκης* per solam possessionem (*ἐμβάτευσιν*) occupare et cum quis eis controversiam moverat, *διαμαρτυρίαν* interponere hereditatem non *ἐπίδικον* esse.[1]) Contra *ἐπίδικοι*, h. e. petitionibus cuiuslibet obnoxiae erant omnes eorum hereditates, qui liberis orbi mortui erant; tales hereditates ex lege non poterant possideri nisi per actionem iudicialem ab archonte adiudicatae. Haec actio iudicialis paulo diversa erat, prout hereditas quae postulabatur etiamtum libera aut iam alicui adiudicata et possessa erat. Cum hereditas etiamtum libera erat, is qui eam postulabat, petitionem ad archontem, qui omnium causarum hereditariarum *ἡγεμὼν* erat, deferebat (*λαγχάνειν τοῦ κλήρου*). Petitione rite promulgata cum nemo alius extiterat, qui cum petente contendere vellet, hereditas huic ab archonte adiudicabatur (*ἐπεδίκασεν ὁ ἄρχων τὸν κλῆρον*). Appellabatur haec actio *ἐπιδικασία*. Contra cum vel una cum primo petitore vel post petitionem eius promulgatam plures extiterant, qui illi de hereditate *ἐπιδίκῳ* controversiam moverent, inter hos certamen hereditarium, *διαδικασία τοῦ κλήρου*, instituendum erat. Talis *διαδικασία* est prior lis de hereditate Cononis §§ 20–27 cl. 41 descripta.

Nam Cononis hereditas, cum possessor liberis orbus obisset,[2]) *ἐπίδικος* fuit. Quod quamquam Callistratus et Olympiodorus sciunt atque ipsi concedunt,[3]) tamen post sepulturam defuncti nulla ad archontem petitione delata omnia eius bona occupant atque inter se partiuntur. Sed cum haec occupatio (*ἐμβατεία*) et partitio contra ius ac leges facta esset,[4]) postea cum alii de hereditate controversiam movissent, nulla eius ratio habita

---

[1]) De his omnibus, cf. Meieri et Schoemanni op. de lite Attica, pagg. 459 sqq.; quod auxit et correxit J. H. Lipsius, pagg. (569) 603 sqq.

[2]) Cf. § 5 *οὗτος ὁ Κόνων ἐτελεύτησεν ἄπαις* —

[3]) Cf. § 10 *καὶ εἰ δή τις ἄλλος ἐβούλετ' ἀμφισβητεῖν, οὐκ ἐνῆν ἡμῖν κωλύειν· οἱ γὰρ νόμοι κελεύουσι τὸν βουλόμενον ἀμφισβητεῖν.*

[4]) Ceteroquin orationes Isaei nos docent contra legem illam *ὡς οὐ δεῖ τὸν ἐπίδικον κρατεῖσθαι κλῆρον πρὸ δίκης* (Dion. Hal. iud. de Isaeo pag. 613) saepius peccatum esse. Conf. Is. de Astyph. hered. § 3 de Aristarch. her. § 24 cum notis Schoemanni ad Is. pagg. 408 et 446. Inversa res est de Pyrrhi hered. § 59 sqq. ubi *ἐπιδικασία* vitiose instituta est pro *ἐμβατείᾳ*. Cf. Schoemannum l. l. pag. 258.

est neque licuit Callistrato et Olympiodoro illos *διαμαρτυρίᾳ* interposita prohibere, sed erat potius cum eis certamen de hereditate, ***διαδικασία τοῦ κλήρου***, subeundum.

Deerat in hac *διαδικασίᾳ*[1]) vocatio rei, *πρόςκλησις*, quod erat cuiusvis alius actionis initium. Nemo enim hic reus, nemo actor erat, sed litigantes singuli contra singulos agebant, unde etiam libelli omnes promiscue *ἀντιγραφαί* dicebantur, cum vulgo libellus actoris *λῆξις*, libellus rei *ἀντιγραφή* appellaretur. Priusquam res iudicio committeretur, magistratus praeses sicut in ceteris actionibus privatis *ἀνάκρισιν* instituebat, h. e. iura singulorum petentium examinabat[2]) et causa rite instructa diem, quo res in iudicio heliastico ageretur, constituebat. In ipsa autem actione petitiones singulorum (*ἀμφισβητήσεις* §§ 23, 25) ita discernebantur, ut tot sitellae (*καδίσκοι*) ponerentur quot litigatores erant, quorum petitiones altera alteram excluderent, cum ei qui eodem titulo nisi aequam quisque partem hereditatis sibi postulabant, unam tantum sitellam acciperent. Victoriam reportabat is, cuius in sitella plurima suffragia reperiebantur; si sitella, quae plurima suffragia continuit, pluribus communis erat, hi hereditatem inter se partiebantur. Adiudicationem hereditatis (*ἐπιδικασίαν*) habebat archon, cf. § 26 *ἐπεδίκασεν ὁ ἄρχων τοῖς ἀντιδίκοις τοῖς ἡμετέροις τὸν κλῆρον τὸν Κόνωνος*. In nostra *διαδικασίᾳ* res omnino non in suffragium venit, quia Olympiodori petitio sine excusatione probabili cessantis ab archonte *κατὰ τὸν νόμον* deleta est et Callistratus hoc facto suam petitionem ultro destituit.[3])

Quod attinet ad *ὑπωμοσίαν* ab actore pro absente affini institutam et *ἀνθυπωμοσίαν* ab adversariis oppositam eis quae Hudtwalcker, Platner, Schoemann et imprimis Heffter disputaverunt,[4]) fere nihil habeo quod addam. Ex loco nostro lucu-

[1]) De eis quae sequuntur, cf. litt. Attic. ed. I pagg. 461—466, ed. II pagg. 605—611.

[2]) Cf. § 23 *καὶ ἐπειδὴ ἀνεκρίθησαν πρὸς τῷ ἄρχοντι ἅπασαι αἱ ἀμφισβητήσεις*. —

[3]) § 26 *διέγραψεν ὁ ἄρχων Πυθόδοτος κατὰ τὸν νόμον τὴν τουτοὶ Ὀλυμπιοδώρου ἀμφισβήτησιν· διαγραφείσης τε ταύτης ἐξ ἀνάγκης κἀμοὶ ἦν ἐκλιπεῖν τὴν τοῦ ἡμικληρίου ἀμφισβήτησιν.*

[4]) Hudtwalcker in l. q. i. Die öffentlichen und die Privatschieds-

lenter apparet de *ὑπωμοσίᾳ* et *ἀνθυπωμοσίᾳ* propriam actionem iudicialem habitam esse, in qua *ὁ ὑπομνύμενος* priore, *ὁ ἀνθυπομνύμενος* secundo loco orabat.[1]) Valde mirum est excusationem, quam Callistratus pro affini protulit, profectionem cum expeditione civium in Acarnaniam factam, a iudicibus non probatam esse, praesertim cum grammatici inter causas excusationis *ἀποδημίαν* expresse enumerent, cf. Harpocr. s. *ὑπωμοσία· τὸ ὑπερτίθεσθαι δίκην προφάσει χρώμενον ἀποδημίας ἢ νόσῳ τινὶ τῶν παραπλησίων μεθ' ὅρκου.* Sed cum actor ne testimonio quidem confirmet Olympiodorum in Acarnaniam profectum esse, suspicio oritur hunc fortasse expeditioni illi omnino non interfuisse, sed Athenis morantem consulto cessasse et expeditionem illam dumtaxat praetendisse.[2]) Cf. infra pag. 34.

Ceterum respiciens eventum *διαδικασίας* prioris in eam opinionem adducor, ut putem litigantes quamvis actor permultos fuisse dicat (cf. §§ 21, 23), duas tantum partes inter se contrarias effecisse. Callistratus et Olympiodorus ex pacto petitiones per speciem alter in alterum intendunt[3]) atque ille

---

richter in Athen, pagg. 91 proxx. Platner l. l. I pagg. 182 sqq. Schoemann de lite Att. ed. I pagg. 695 sqq. Heffter in l. q. i. Die athenaeische Gerichtsverfassung, pag. 356 sqq.

[1]) Cf. § 25 *οἱ ἀντίδικοι ὕστεροι ἡμῶν λέγοντες* —

[2]) Simile aliquid cogitasse videtur Caillemer l. l. pag. 173: „Les deux associés, *par mesure de prudence*, se désistent momentanément.“

[3]) Quod quamquam Callistratus hic (§ 22) non expresse dicit, tamen non dubitandum est, quin haec prior lis, si in iudicio acta esset, plane eodem modo instituta esset quo secunda lis, cuius via ac ratio infra §§ 29 et 30 multo accuratius describitur: *καὶ ἐδόκει ἡμῖν βουλευομένοις — ἀσφαλέστατον εἶναι μὴ ἐν τῷ αὐτῷ ἡμᾶς ἀμφοτέρους τὸν κίνδυνον ποιεῖσθαι πρὸς τοὺς ἀμφισβητοῦντας, ἀλλὰ χωρὶς ἑκάτερον καὶ τοῦτον μὲν Ὀλυμπιόδωρον ὅλου τοῦ κλήρου λαχεῖν, ὥσπερ τὸ πρότερον, καὶ ἀγωνίζεσθαι καθ' αὑτόν, ἐμὲ δὲ τοῦ ἡμικληρίου, ἐπειδὴ καὶ Κάλλιππος ὁ ἀδελφὸς ὁ ἐμὸς τοῦ ἡμικληρίου μόνον ἠμφισβήτει, ὅπως, ἐὰν μὲν Ὀλυμπιόδωρος οὑτοσὶ ἐπιτύχῃ τοῦ ἀγῶνος, ἐγὼ κατὰ τὰς συνθήκας καὶ τοὺς ὅρκους πάλιν τὸ μέρος λάβοιμι παρὰ τούτου, ἐὰν δ' ἄρ' ἀποτύχῃ —, οὗτος παρ' ἐμοῦ τὰ μέρη καλῶς καὶ δικαίως ἀπολαμβάνοι, ὥσπερ ὠμόσαμεν ἀλλήλοις καὶ συνεθέμεθα.* Haec omnia etiam ante litem priorem pacta esse, quamquam actor non diserte memorat, nemo tamen negabit; attendas verba *ὥσπερ τὸ πρότερον.* Orator, opinor, ea in priore lite leviter tantum attingit, quia haec lis non in iudicio acta, sed propter Olympiodori absentiam praemature finita est.

totam, hic dimidiam hereditatem postulat. Olympiodorus igitur ex altera parte stat, ex altera Callistratus et praeter eum etiam Callippus; nam cum hic ipse quoque dimidiam hereditatem peteret (cf. § 22), ex eis quae paulo supra diximus cum fratre unam partem effecit et si res in suffragium venisset, ei cum fratre una communis sitella posita esset, cum petitiones eorum se non excluderent.[1]) Tenendum igitur est Callippum, quem Callistratus semper in numero adversariorum habet (cf. §§ 10, 20 cl. 25 proxx.), reapse a partibus eius stare, cum Callistratus una cum eo, etsi per speciem tantum, contra Olympiodorum agat. Secundum § 26 archon postquam Olympiodori petitionem abolevit et Callistratus suam retractavit, hereditatem adversariis (*τοῖς ἀντιδίκοις*) adiudicavit: in his certe ante omnes fuit Callippus, Callistratus inter eos fuisset, nisi sua sponte renuntiasset cf. § 41 *ἐξῆν γὰρ ἔμοιγε τοῦ ἡμικληρίου ἐπιδικάσασθαι ἐμαυτῷ·*[2]) *οὐδεὶς γάρ μοι ἀνθρώπων ἀντέλεγεν, ἀλλὰ συνεχώρουν αὐτοὶ οἱ ἀντίδικοι.* Quodsi reliqui illi, quibus secundum § 26 praeter Callippum hereditas Cononis adiudicatur, aut omnes unam aut singuli singulas partes effecissent, eis sine dubio cum Callippo certandum fuit, cui optimum ius in hereditatem Cononis competeret. Sed cum de tali certamine

---

[1]) Ex § 41 (*ἐξῆν γὰρ ἔμοιγε κτλ.*) colligi posse videtur Callistratum et Callippum petitiones eo fulsisse, quod pater ipsorum cum defuncto cognatus esset.

[2]) Dareste l. l. p. 14 bene vertit „de me faire adjuger la moitié de la succession“ h. e. efficere ut hereditas mihi adiudicetur vel adiudicationem hereditatis impetrare. Eodem fere sensu *ἐπιδικάζεσθαι* usurpatum est §§ 27, 29, 32, 35. De significationibus et structuris verbb. *ἐπιδικάζειν*, *ἐπιδικάζεσθαι* cf. praeter Reiskii Indd. oper. Demosth. litt. Att. ed. I pag. 462 not. 56, ed. II pag. 606 not. 331; ibi in fine legitur: „*ἐπιδικάζεσθαι τοῦ κλήρου τινί*“ heisst für jemand, zu seinen Gunsten, in seinem Namen auf eine Erbschaft Anspruch machen. Hanc structuram, quam Meier nullo, Lipsius uno exemplo (Isae. de Aristarch. her. § 5) probat, nostro loco habemus: *τοῦ ἡμικληρίου ἐπιδικάσασθαι ἐμαυτῷ.* sed simul apparet significationem, quam viri doctissimi indicant, hic non quadrare propter ea quae sequuntur: *οὐδεὶς γάρ μοι ἀνθρώπων ἀντέλεγεν, ἀλλὰ συνεχώρουν αὐτοὶ οἱ ἀντίδικοι.* Nam petere hereditatem, „in Anspruch nehmen“ nemo orantem vetare potuit, quippe quod omnibus liceret (cf. § 10), contra impetrare adversarii prohibere potuerunt.

(*διαδικασίᾳ*) prorsus nihil legamus, colligitur reliquos illos, quibus praeter Callippum hereditas adiudicatur, a partibus eius stetisse; fortasse hic eorum nomine et ab eis per *συνηγορίαν* adiutus causam egit victoriaque reportata hereditatem cum eis communicavit. Attamen fateor in hanc explicationem verba „*πολλοὺς τοὺς ἀμφισβητοῦντας*“ minus quadrare ideoque suspicor Callistratum in enarrandis his rebus magis minusve a veritate deflexisse. Qui quomodo excludi potuerit, si frater Callippus dimidiam partem hereditatis accepit, difficile est ad intellegendum.

Victores postquam hereditatem Cononis obtinuerunt, statim omnia occupant, quae Callistratus et Olympiodorus possederant ac partiti erant;[1]) solebant enim Athenis in causis privatis litigantes sententias iudiciales ipsi efficere atque rebus sibi adiudicatis e vestigio potiri.[2])

Nec vero multo post Olympiodori reditum nova lis de hereditate Cononis exorta est. Nam possessores eius ab illo et Callistrato denuo iudicio arcessuntur atque novum certamen hereditarium, *διαδικασίαν*, subire coguntur. Haec *διαδικασία* §§ 29—32 accuratius descripta, ab ea de qua modo diximus, aliquanto diversa est.[3]) Nam cum hic agatur de hereditate iam adiudicata, actor et reus perspicue distingui possunt: illius partes agit is, qui hereditatem petit, huius is qui hereditatem possidet atque hic ut in omni alia actione per *πρόσκλησιν* ab illo in ius vocandus erat. Praeterea in hac lite actor *παρακαταβολήν*, i. e. decimam partem hereditatis petitae sacramenti instar deponere debebat, quae cum causa ceciderat, reo obtingebat. In reliquis rebus haec *διαδικασία* cum altera prorsus congruit.

Callistratus et Olympiodorus postquam ex pacto, quod inter se fecerunt, deliberationem communem habuerunt, petitiones plane eodem modo instituunt quo in lite priore, h. e. per

[1]) § 27 *ἐπειδὴ δ' ἐπεδικάσαντο, εὐθὺς εἰς Πειραιᾶ ἐλθόντες παρελάμβανον πάνθ' ὅσα ἡμῶν εἶχεν ἑκάτερος νειμάμενος ἐν τῇ μερίδι.*

[2]) Cf. de lit. Att. ed. I pagg. 739 sqq.

[3]) Cf. de lit. Att. ed. I pagg. 466 sqq., ed. II pagg. 612 sqq.

speciem alter adversus alterum agunt, hic totam ille dimidiam hereditatem postulans.

Sed orta est quaestio inter viros doctos, qua ratione eis contigerit, ut restitutionem litis hereditariae impetrarent. Satis notum est sententias iudiciales Athenis in universum irrevocabiles *αὐτοτελεῖς* fuisse[1], neque exceptis perpaucis causis aut appellationem aut restitutionem in integrum admisisse. Veruntamen singularem locum obtinent lites hereditariae, in quibus ratio illa non admodum severe videtur exercita esse.[2])

Primum enim lites hereditariae in numero paucarum actionum sunt, quae ex vetere testimonio per actionem falsi testimonii (*δίκη ψευδομαρτυριῶν*) restitui poterant, cf. scholion ad Platon. legg. XI pag. 937 c *ἀνάδικος κρίσις· εἰ ἑάλωσαν ἤτοι πάντες οἱ μάρτυρες ψευδομαρτυριῶν ἢ ὑπερημίσεις, ἐκρίνετο ἄνωθεν ἡ δίκη. Οὐκ ἐπὶ πάντων δὲ ἀγώνων ἐγίγνοντο ἀνάδικοι αἱ κρίσεις, ἀλλ' ὥς φησι Θεόφραστος ἐν ἑβδόμῳ Νόμων ἐπὶ μόνης ξενίας καὶ ψευδομαρτυριῶν καὶ κλήρων.*[3]) Isaeus de Hagn. her. § 46 *κἀμοὶ μὲν ὁ κλῆρος ὃν Ἁγνίας κατέλιπεν οὗτος οὔπω βέβαιός ἐστιν· δίκαι γὰρ ἐνεστήκασι ψευδομαρτυριῶν. κελεύει δ' ὁ νόμος ἐὰν ἁλῷ τις ψευδομαρτυριῶν, πάλιν ἐξ ἀρχῆς εἶναι περὶ αὐτῶν τὰς λήξεις.* Exemplum litis hereditariae per *δίκην ψευδομαρτυριῶν* restitutae praebet Isaei or. de Dicaeog. hered. § 14 sqq. cl. § 12.[4])

Deinde lites hereditariae sicut omnes aliae actiones restitui poterant per oppositionem contra sententiam in contumaciam latam. Pollux VIII, 61 *ἀντιλαχεῖν δὲ δίκην ἐξῆν, ὁπότε τις μὴ παρὼν ἐν δικαστηρίῳ κατακηρυχθεὶς καὶ μὴ ὑπακούων ἐρήμην ὄφλοι· ἀντιλαχεῖν δὲ ἐντὸς δύο μηνῶν ὑπῆρχεν· εἰ δὲ μὴ τοῦτο σχοίη, τὸ ἐγγεγραμμένον ὦφλε καὶ ἄτιμος ἦν.* Oppositio igitur intra duos menses instituenda erat atque opponentis ut videtur

---

[1]) De lit. Att. ed. I pag. 753.

[2]) Cf. De Boorii l. q. i. Ueber das attische Intestaterbrecht, Hamburg 1838, pagg. 105 proxx. 108.

[3]) Accuratiora de hoc testimonio et de tota re docet Schoemann de lit. Att. pagg. 759 proxx. Westermann. quaestt. Demosth. III p. 12 adnot.

[4]) De lit. Att. ed. I pag. 762 not. 17, ed. II pag. 612 not. 349.

erat, iuramento interposito contumaciae suae iustam causam proferre. Sine dubio similiter atque de ὑπωμοσίᾳ et ἀνθυπωμοσίᾳ peculiaris actio iudicialis habebatur, utrum oppositio probanda esset necne et hac demum probata causa principalis restitui poterat.[1]) Denique lex erat Solonis, ex qua de hereditate iam adiudicata et possessa omnibus, qui melius ius sibi competere putarent, denuo controversiam movere atque a possidente eam repetere licebat, quamdiu hic ipse vixit et quinque annis post eius mortem. Haec lex in orationibus de causis hereditariis habitis passim usurpata, forma ut videtur genuina laudatur in Pseudo-Demosth. or. adv. Macartatum § 16: *Ἐὰν δ' ἐπιδεδικασμένου ἀμφισβητῇ τοῦ κλήρου ἢ τῆς ἐπικλήρου, προςκαλείσθω τὸν ἐπιδεδικασμένον πρὸς τὸν ἄρχοντα, καθάπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων δικῶν· παρακαταβολὰς δ' εἶναι τῷ ἀμφισβητοῦντι. ἐὰν δὲ μὴ προςκαλεσάμενος ἐπιδικάσηται, ἀτελὴς ἔσται ἡ ἐπιδικασία τοῦ κλήρου· ἐὰν δὲ μὴ ζῇ ὁ ἐπιδικασάμενος τοῦ κλήρου, προςκαλείσθω κατὰ ταὐτά, ᾧ ἡ προθεσμία μήπω ἐξήκει· τὴν δ' ἀμφισβήτησιν εἶναι τῷ ἔχοντι, καθότι ἐπεδικάσατο οὗ ἂν ἔχῃ τὰ χρήματα.*[2])

Quamnam ex his tribus viis Olympiodorus et Callistratus intrarunt? Plerique viri docti inde ab Hudtwalckero, de Boor, Dareste, Lipsius cogitaverunt de altera;[3]) sententiam in priore lite de Olympiodoro et Callistrato latam habent pro sententia quam dicunt contumaciali ac putant duos socios eo, quod contra hanc sententiam oppositionem instituerent (*ἀντιλαχεῖν τὴν δίκην*) restitutionem certaminis hereditarii impetrasse. Sed adversatur huic opinioni, quod talis oppositio a solo Olympiodoro interponi potuit,[4]) quoniam hic solus priori liti non inter-

[1]) De lit. Att. pagg. 756 proxx. Platner l. l. I pag. 396. Tota res analoga fuit actioni quae *μὴ οὖσα* dicitur, de qua cf. Hudtwalckerum l. l. pagg. 99 sqq.

[2]) Cf. Wachholtz de litis instrumentis in Demosthenis quae fertur oratione in Macartatum, Lips. 1878, pagg. 31 sqq.

[3]) Hudtwalcker l. l. pag. 111 not. 54. de Boor l. l. pag. 106. Dareste l. l. pag. 2. Lipsius de lit. Att. ed. II pag. 612 cum not. 349.

[4]) Ceterum nescio num Olympiodorus intra duos menses ex Acarnania Athenas reverti potuerit: si non potuit, ex loco Pollucis VIII, 61 (vid. supra pag. 19) ne ei quidem ius oppositionis instituendae competivit.

fuerat, non simul a Callistrato, qui liti interfuerat petitionemque sua sponte destituerat. Dareste, qui hoc recte animadvertit, re vera statuit Olympiodorum solum oppositionem instituisse, Callistratum autem secundi certaminis quidquid de eo dicat omnino non participem fuisse.[1]) Sed si ille solus neglecto socio oppositionem instituisset, nonne aperte contra pactionem egisset, quae diserte praefinivit, ne quidquam alter sine altero faceret (*ὅπως μήθ᾽ ἑκόντι μήτε ἄκοντι μηδετέρῳ ἐξουσίᾳ ἡμῶν γένηται μηδ᾽ ὁτιοῦν ἰδίᾳ πρᾶξαι* § 10), nonne actor hoc socio, a quo ipse pacti violati incusabatur (§ 38) crimini vertisset? Cogitare quis possit de communi sententia et consilio (*κοινῇ βουλευόμενοι* § 16) Olympiodorum solum oppositionem instituisse, sed cum actor, in enarrandis his rebus satis copiosus, ne verbo quidem hoc indicet, rem ita se habere, vix cuiquam probabitur.[2]) —

Hudtwalcker et Dareste referunt ad oppositionem qua causam restitutam esse censent, verba § 31 *καὶ τὰς ἀμφισβητήσεις ἀντεγραψάμεθα*, quae hic l. l. pag. 11 vertit: „nous reprîmes nos demandes primitives en formant opposition sur défaut.“ Schoemann, si recte eum intellego, de lit. Att. ed. I pag. 756 not. 7, eandem explicationem videtur amplecti,[3]) sed supra pag. 629 not. 18, verba illa rectius intellegit de

---

[1]) Dareste l. l. pag. 2: „En effet, si l'opposition d'Olympiodore était recevable, c'est qu'elle était fondée sur une excuse légitime, absence pour le service militaire. Callistrate n'était pas dans le même cas. Il avait volontairement fait défaut, quoique présent à l'audience. *Il n'était donc pas recevable à former opposition en son nom.* — Dareste ex hoc ipso, quod Callistrato oppositionis instituendae ius nullum competiverit, silentium eius in altera lite hereditaria explicat: „Son silence était forcé, lors du second procès, et ne pouvait pas être un rôle convenu avec Olympiodore.“ De qua v. d. opinione vid. infra pag. 30 sqq.

[2]) Cf. etiam § 28 sqq. et verba Libanii Argum., pag. 1166, 7 *ὡς δὲ ἐπανῆλθεν, ἀπὸ τῆς στρατείας Ὀλυμπιόδωρος, παλινδικίᾳ* (sic H. Wolf, libri: *πάλιν δὲ ἐκείνα*) *χρῆται πρὸς τοὺς νενικηκότας καὶ αὐτὸς καὶ ὁ Καλλίστρατος, δεδωκότος τοῦτο τοῦ νόμου.*

[3]) „Doch steht, inquit l. l., bei Demosth. g. Olympiod. 1175, 26 *ἀντιγράψασθαι τὰς ἀμφισβητήσεις* von demjenigen, der eine Erbschaftsstreitigkeit vermöge des angewandten Rechtsmittels der Nullitätsklage von neuem anhängig macht.“

delatis libellis ad archontem, qui in causis hereditariis promiscue *ἀντιγραφαί* dicebantur. Meo quidem iudicio verba „*καὶ τὰς ἀμφισβητήσεις ἀντεγραψάμεθα*“ ex nexu sententiarum nihil aliud significare possunt nisi: petitiones alter in alterum intendimus, vel seorsum in hereditatem egimus, quem admodum Olympiodoro visum erat. *ὃν τρόπον ἐδόκει τούτῳ Ὀλυμπιοδώρῳ.*[1]) Actor breviter repetit quae supra pluribus exposuit § 29 *καὶ ἐδόκει ἡμῖν βουλευομένοις — μὴ ἐν τῷ αὐτῷ ἡμᾶς ἀμφοτέρους τὸν κίνδυνον ποιεῖσθαι πρὸς τοὺς ἀμφισβητοῦντας, ἀλλὰ χωρὶς ἑκάτερον, καὶ τοῦτον μὲν Ὀλ. — ἀγωνίζεσθαι καθ᾽ αὑτόν.*

Equidem cum Hefftero Blassio pro certo habeo Olympiodorum et Callistratum non secunda via per oppositionem contra sententiam in contumaciam latam, sed tertia per legem de repetendis hereditatibus adiudicatis restitutionem in integrum impetrasse. Quod manifeste elucet ex verbis, quibus actor litis restitutionem describit cf. § 28 *ἐπειδὴ δὲ μεστὸς ἐγένετο ἀγανακτῶν* (sc. Olympiodorus), *ἐσκοποῦμεν πάλιν — ὅντινα τρόπον τούτων τι πάλιν κομιούμεθα. καὶ ἐδόκει ἡμῖν βουλευομένοις προσκαλεῖσθαι τοὺς ἐπιδεδικασμένους κατὰ τὸν νόμον.* et paulo infra § 30 *ἐπειδὴ δὲ ταῦτ᾽ ἐβουλευσάμεθα —, προσεκλήθησαν ἅπαντες οἱ ἔχοντες τὰ τοῦ Κόνωνος κατὰ τὸν νόμον.* Non igitur dicit „*ἐδόκει ἡμῖν ἀντιλαχεῖν τὴν δίκην*“, oppositionem instituere, sed potius „*προσκαλεῖσθαι τοὺς ἐπιδεδικασμένους*“, indicio arcessere eos, qui hereditatem possident, et si cum hac dicendi ratione comparaverimus initium legis supra laudatae, *ἐὰν δ᾽ ἐπιδεδικασμένου ἀμφισβητῇ τοῦ κλήρου — προσκαλείσθω τὸν ἐπιδεδικασμένον*“, hanc legem ad restituendam litem hereditariam ab Olympiodoro

[1]) Mirum est hic solum Olympiodorum nominari, cum alias ubi de eadem re agitur, et Callistratus et Olympiodorus nominetur cf. § 30 *ἐπειδὴ δὲ ταῦτ᾽ ἐβουλευσάμεθα καὶ ἐδόκει ἀσφαλέστατ᾽ εἶναι καὶ ἐμοὶ καὶ Ὀλυμπιοδώρῳ.* § 45 *κοινῇ γὰρ ἠγωνιζόμην μετὰ σοῦ, ὥσπερ ἔδοξεν ἐμοὶ καὶ σοι.* § 29 *καὶ ἐδόκει ἡμῖν βουλευομένοις.* Fortasse Olympiodorus consilium illud hereditatis seorsum petendae excogitavit, et propterea solus memoratur: sed potest etiam nomen actoris vel potius pronomen *ἐμοί* excidisse. Nam in tota oratione, ubi de communi actione rei et actoris res est, semper uterque nominatur, actor semper priore loco cf. §§ 16 *καὶ ἐμοὶ καὶ τούτῳ Ὀλ.* 22 *ἐγὼ καὶ Ὀλ. οὑτοσί* id. 23, 28, 35, 51.

et Callistrato adhibitam esse facere non poterimus quin concedamus.[1]) Unde sequitur ut lex, quam actor § 30 recitari iubet, nulla alia esse possit nisi haec cf. *καί μοι ἀνάγνωθι τὸν νόμον, καθ' ὃν ἡ πρόςκλησις ἐγένετο.*

Sed restat una difficultas. Neque enim satis liquet inter viros doctos, quatenus haec lex valuerit. Heffter in libro de iurisdictione Atheniensium pag. 345 contendit vim eius absolutam fuisse atque etiam eis, qui iam de hereditate certavissent et causa cecidissent concessisse, ut intra tempus praescriptionis eodem titulo quo ante novam litem inciperent hereditatemque sibi abiudicatam ab eis quibus adiudicata esset repeterent. Sed iure suo plerique viri docti recentiores, de Boor, Caillemer, Lipsius,[2]) hanc Heffteri sententiam, quae totam iuris doctrinam subvertit, reiecerunt ac fontibus nisi docuerunt ad legem illam provocare in universum non licuisse nisi eis, qui cum possessore eius, quam vindicarent hereditatis, non iam certavissent, eis vero qui iam certavissent tum tantum, cum in altera lite alio titulo niterentur atque in priore. Atqui Callistratus et Olympiodorus in altera lite plane eodem titulo nituntur et plane eodem modo rem instituunt quo in priore. Licuitne igitur eis ex lege illa contra possessores hereditatis Cononis agere? De Callistrato vix quisquam dubitabit; is enim cum possessoribus omnino non certaverat neque hereditas Cononis ei abiudicata erat, sed ipse in priore lite sua sponte ab instituta in semissem hereditatis actione destiterat. Hanc autem actionem quominus postea ex lege hereditaria identidem laudata reciperet, certe nihil obstitit. Sed quomodo res se habet in Olympiodoro, qui in priore lite cessavit? Petitio eius post-

---

[1]) De Boor l. l. pag. 106 quamquam Hudtwalckeri, Schoemanni sententiam de litis restitutione amplectitur, tamen hoc recte sensisse videtur; pergit enim postquam illam sententiam pronuntiavit: „obgleich nicht zu leugnen ist, dass die Worte des Redners §§ 29—31, obgleich nicht ganz bestimmt lautend — (meo quidem iudicio certiora esse non possunt) — doch wohl nur auf die wirkliche Erbklage gehen, folglich von einer Restitution nicht ausdrücklich die Rede ist."

[2]) De Boor l. l. pag. 107. Dareste l. l. pag. 22. Caillemer l. l. pagg. 165 sqq. Lipsius de lit. Att. ed. II pag. 612 not. 350.

quam iudices ὑπωμοσίαν pro eo interpositam reiecerunt, ab archonte Pythodoto secundum leges deleta erat. Cui rei quamquam plerique viri iuris Attici periti eandem vim tribuerunt, quam in aliis actionibus habet condemnatio in contumaciam, tamen equidem persuadere mihi non possum hanc sententiam esse veram et Olympiodorum iure privatum esse petitionis deletae ex lege Solonis postea una cum Callistrato redintegrandae.[1]) Neque enim obliviscendum est tales lites hereditarias, qualis prior διαδικασία orationis nostrae est, ab aliis actionibus eo valde distingui, quod hic πρόσκλησις deest, quoniam litigantes ipsi petitiones ad magistratum deferunt, ideoque in uniuscuiusque potestate est, utrum liti interesse et statim ius suum persequi an finita lite ab eis demum, qui ex hac victores discesserunt, ex lege Solonis hereditatem repetere velit.[2]) Ponamus pro Olympiodoro omnino nullam ὑπωμοσίαν interpositam esse eumque, fortasse quia peregre aberat, litis prioris omnino non participem fuisse: tum certe ei licuit reduci facto ad legem Solonis provocantem eos, quibus in illa lite hereditas Cononis adiudicata erat, in novum certamen deducere. Num vero quis credat idem ei non licuisse propterea quod ὑπωμοσίαν pro se interponendam curaverat neque vero iudicibus eam probaverat? Quod si ei non licuisset, nonne multo prudentius egisset, si omnino nullam ὑπωμοσίαν interponi iussisset, si in priore lite petitionem omnino non detulisset, sed postea demum ex Acarnania redux factus eos qui

---

[1]) Plane assentior Lipsio, qui l. l. pag. 612 not. 349 de eventu litis prioris ita iudicat: „wenngleich dort nicht ein eigentliches Contumazialurteil, sondern Zuspruch durch den Archon nach Abweisung des Fristgesuches des einen Competenten erfolgt ist.“

[2]) Sic verbi causa Theopompus a prima lite, quae de famosa hereditate Hagniae inter Phylomachen, Glauconem et Glaucum intercessit se abstinuit ac tum demum cum Phylomache hereditatem evicisset, contra hanc una cum aliis petitor extitit. Quod ei ab oratore or. [XLIII] (adv. Macartatum) crimini datur, vid. § 5 *καὶ ἐπιδημῶν τότε Θεόπομπος ὁ τουτουὶ πατὴρ Μακαρτάτου, τοῦ κήρυκος κηρύττοντος, εἴ τις ἀμφισβητεῖν ἢ παρακαταβάλλειν βούλεται τοῦ κλήρου τοῦ Ἁγνίου — οὐκ ἐτόλμησε παρακαταβαλεῖν, ἀλλ᾽ αὐτὸς ἑαυτῷ ἐδίκασεν, ὅτι οὐδαμόθεν αὐτῷ προσῆκεν οὐδὲν τοῦ κλήρου τοῦ Ἁγνίου*, quocum conferas Theopompi defensionem in Isaei de Hagn. hered. § 9.

in lite priore hereditatem Cononis reportaverant, in ius vocasset? Respondere quis possit licuisse ei contra ὑπωμοσίας reiectionem oppositionem instituere (τὴν δίκην ἀντιλαχεῖν). Sed hoc, ut vidimus, primum contra pactum fuit[1]) et deinde illa via haud dubie multo simplicior et tutior fuit quam haec.

Quae cum ita sint, non dubito quin ius ex lege hereditaria adversus possessores hereditatis Cononis agendi et Callistrato et Olympiodoro competiverit et quin litis restitutionem nulla alia ratione impetraverint nisi per hanc legem.[2])

Videtur mihi tota agendi ratio eorum callide excogitata esse. Legimus § 23, cum archon litem priorem in iudicium introducturus esset, nequaquam eos satis praeparatos fuisse et rem aliquo modo studuisse producere.[3]) Quod ita fieri potuit, ut petitionibus ad tempus destitutis hereditatem adversariis adiudicari sinerent, postea autem re satis praeparata ex lege de repetendis hereditatibus adiudicatis litem denuo inciperent. Sed permultum eorum videtur interfuisse, ne hereditas Cononis, quam iam possederant ac partiti erant, ne ad tempus quidem, in aliorum manus incideret. Propterea felicissime eis evenit, quod Athenienses ipso illo tempore expeditionem in Acarnaniam mittere constituerunt. Cui utrum Olympiodorus re vera interfuerit necne non ausim diiudicare. Utique contumax fuit et ὑπωμοσίαν pro se interponendam curavit. Qua in re duo socii ita videntur ratiocinati esse: si ὑπωμοσία probaretur sese non solum rei dilationem impetraturos, sed etiam in possessione

---

[1]) Vid. supra pag. 21.

[2]) Eandem fere sententiam amplectitur Caillemer l. l. pag. 168: „Enfin dans le plaidoyer d'Olympiodore, les prétendants se sont désistés, lors du premier débat (hoc parum accurate dictum, nam proprie Callistratus solus petitionem destituerat); il n'y a donc pas eu de jugement rendu contre eux et, par conséquent, lorsqu'ils reproduisent la cause qu'ils ont précedemment invoquée, mais qu'ils ont bientôt abandonnée, on ne peut pas les repousser par l'exception de chose jugée."

[3]) § 23 καὶ ἐπειδὴ ἀνεκρίθησαν πρὸς τῷ ἄρχοντι ἅπασαι αἱ ἀμφισβητήσεις καὶ ἔδει ἀγωνίζεσθαι ἐν τῷ δικαστηρίῳ, ἀπαράσκευοι ἦμεν τὸ παράπαν πρὸς τὸ ἤδη ἀγωνίζεσθαι ἐγὼ καὶ Ὀλ. οὑτοσί — . ἐκ δὲ τῶν ὑπαρχόντων ἐσκοποῦμεν κοινῇ, εἴ πως ἀναβολή τις γένοιτο ἐν τῷ παρόντι, ὥστε παρασκευάσασθαι ἡμᾶς καθ' ἡσυχίαν πρὸς τὸν ἀγῶνα.

bonorum Cononis mansuros esse, sin *ὑπωμοσία* reiceretur, quamquam hereditatem adversariis ad tempus cedere coactos, tamen satis temporis ad litem praeparandam nancturos atque postea ex lege de repetendis hereditatibus adiudicatis denuo in hereditatem acturos esse. —

Transeamus nunc ad ipsam causam, quae in oratione nostra agitur. Ad eventum alterius litis hereditariae infra breviter redeundum erit. Originem duxit causa nostra ex pactione, quam actor se dicit cum reo fecisse. Haec pactio quin re vera extiterit, nemo erit, qui dubitet. Nam quae Callistratus de ea dicit, tam probabilia et tam accurate descripta sunt, ut vix verbis eius fidem denegare possimus. Summa pactionis continetur §§ 9—10 neque errare mihi videor, si verba § 9 *ἦ μὴν τά τε ὑπάρχοντα* usque ad *ὅ τι ἂν ἀεὶ δέῃ* ex ipsa pactione sumpta esse statuo. Androclides Acharnensis, apud quem deposita est, ipse cum ea in iudicio adest atque bis, §§ 11 et 47, testimonium ad eam pertinens dicit. Ne reum quidem negare pactionem factam esse colligi potest ex verbis § 38 *φησί* (sc. reus) *με παραβεβηκέναι τὰς συνθήκας*. Denique § 50 actor adversarium per *πρόκλησιν* provocat, ut pactionem ab Androclide apportatam aperiri atque coram iudicibus recitari sinat. Extitisse igitur talem pactionem, non erit negandum.

Paciscentes tres maxime res pollicentur (cf. § 9):

primum bona Cononis manifesta se aeque et iuste inter se partituros *ἦ μὴν τά τε ὑπάρχοντα φανερὰ ὄντα καλῶς καὶ δικαίως διαιρήσεσθαι*

deinde bona reliqua communiter quaesituros et exacturos *καὶ τἄλλα πάντα κοινῇ ζητήσειν*

tum omnia de communi consilio et sententia neque quidquam seorsum acturos cf. § 9 *καὶ πράξειν μετ᾽ ἀλλήλων βουλευόμενοι ὅ τι ἂν ἀεὶ δέῃ*, cl. 10 *ὅπως ἂν μήθ᾽ ἑκόντι μήτε ἄκοντι μηδετέρῳ ἐξουσία ἡμῶν γένηται μηδ᾽ ὁτιοῦν ἰδίᾳ πρᾶξαι, ἀλλὰ κοινῇ βουλευόμενοι μεθ᾽ ἡμῶν αὐτῶν ἅπαντα πράττωμεν.*

Hanc tertiam condicionem mihi Uhle l. l. pag. 18—20, ubi de argumentatione orationis XXXXVIII agit, plane videtur neglexisse; opinatur enim Callistratum et Olympiodorum ter inter

se pactos esse. et statim post mortem Cononis et ante priorem et ante alteram litem hereditariam. Prima pactione eos statuisse, ut facultates Cononis ex aequo partirentur, secunda ut alter totam, alter dimidiam hereditatem peteret, tertia, „ut in possessores hereditatis Olympiodorus de asse, Callistratus de dimidio litem intenderet et is qui litem obtinuisset, alteri dimidium concederet." Has tres pactiones v. d. se exclusisse existimat ita ut secunda pactione prima, tertia pactione secunda tolleretur. Sed quisquis orationem attente perlegerit, omnibus locis, ubi pactionis mentio fit, semper unam eandemque, quae §§ 9—11 describitur, significari concedet. Ex hac pactione, praecipue ex tertia condicione eius „*κοινῇ βουλευόμενοι πράττειν ὅ τι ἂν ἀεὶ δέῃ*" manaverunt eae, quas Uhle secundam et tertiam appellat quasque a prima perperam secernit. Conferas maxime verba, quibus haec secunda et tertia pactio describuntur: § 23 (secunda pactio) *μετὰ δὲ ταῦτα ἐβουλευόμεθα κοινῇ* (cf. supra *κοινῇ βουλευόμενοι*), *ὥςπερ καὶ ὠμόσαμεν* — § 28 sqq. (tertia pactio): *ἐσκοποῦμεν πάλιν καὶ ἐβουλευόμεθα κοινῇ — καὶ ἐδόκει ἡμῖν βουλευομένοις* — Paulo infra § 30 haec leguntur: *ὅπως, ἐὰν μὲν Ὀλ. — ἐπιτύχῃ τοῦ ἀγῶνος, ἐγὼ κατὰ τὰς συνθήκας καὶ τοὺς ὅρκους πάλιν τὸ μέρος λάβοιμι —, ἐὰν δ' ἄρ' ἀποτύχῃ —, οὗτος — τὰ μέρη — ἀπολαμβάνοι, ὥσπερ ὠμόσαμεν ἀλλήλοις καὶ συνεθέμεθα.* Manifestum est verba *κατὰ τὰς συνθήκας καὶ τοὺς ὅρκους* et *ὥσπερ ὠμόσαμεν ἀλλήλοις καὶ συνεθέμεθα* non posse referri nisi ad primam pactionem. Hanc ne sublatam quidem esse secunda pactione perspicue inde apparet, quod Callistratus in priore lite hereditaria, cum Olympiodori petitio deleta esset, ipse quoque suam destituit. Hoc certe non fecisset, si prima pactio, qua nihil seorsum sine socio se facturum esse promiserat non iam valuisset.[1]) In tota igitur oratione semper de

---

[1]) Cf. § 26 *διαγραφείσης δὲ ταύτης* (sc. petitionis Olympiodori) *ἐξ ἀνάγκης κἀμοὶ ἦν ἐκλιπεῖν τὴν τοῦ ἡμικληρίου ἀμφισβήτησιν.* § 41 *ἐξῆν γὰρ ἔμοιγε τοῦ ἡμικληρίου ἐπιδικάσασθαι ἐμαυτῷ· οὐδεὶς γάρ μοι ἀνθρώπων ἀντέλεγεν, ἀλλὰ συνεχώρουν αὐτοὶ οἱ ἀντίδικοι ἀλλὰ ταῦτα ποιήσας εὐθὺς ἂν ἦν ἐπιωρκηκώς· ὤμοσα γὰρ καὶ συνεθέμην πρὸς σὲ κοινῇ πράξειν ὅ τι ἂν δοκῇ ἐμοὶ καὶ σοὶ βουλευομένοις βέλτιστον εἶναι.*

una eademque pactione §§ 9—11 descripta res est, ita ut Uhle auctori orationis iniuria crimini det, quod in argumentatione prima potissimum, non tertia pactione nitatur.[1])

Pactio, ut mos erat, per literas concepta ab utroque paciscentium testibus adhibitis iuramento confirmatur et apud Androclidem Acharnensem deponitur; is fortasse in numero familiarium fuit, quibus intercedentibus pactio facta erat; nam apud unum ex illis tales pactiones deponi solebant. Pro lege valebant contractus iure Attico etiam sine ullo ritu per solum voluntarium consensum contrahentium, testes iusiurandum etc. non adhiberi solebant nisi argumentationis causa, ne quis postea infitiaretur.[2])

Offenderunt plures viri docti in inhonesta turpique natura pactionis nostrae. Prima et secunda condicio eius, quae ad aequam hereditatis partitionem pertinent, certe nullam offensionem praebent. Partitiones hereditatum fere semper cum quadam sollemnitate institui solebant neque raro „inter heredes conventum fuisse iuvenimus de partitione aut facienda aut servanda, fide et inreiurando dato“ cf. Bunseni l. de iure hereditario Atheniensium pag. 83. Praeter nostrae orationis § 9 ibi laudatam cf. Isae. de Dicaeog. her. § 7 *ἐπειδὴ δὲ ἐνείμαντο τὸν κλῆρον ὀμόσαντες μὴ παραβήσεσθαι τὰ ὡμολογημένα.* Contra tertia pactionis condicio, quae paciscentes obstrinxit, ut in tota re hereditaria omnia de communi consilio et sententia agerent, multo maiorem offensionis ansam praebet. Nam ex hac condicione fluxit fraudulenta illa collusio in altera lite hereditaria, qua actor dicit iudices deceptos et perductos esse, ut Olympiodoro hereditatem Cononis addicerent. Offensionem movit viris doctis, Darestio, Caillemero, maxime id, quod actor hanc fraudem per se iam satis idoneam, quae iram et indignationem excitet, iudicibus non modo non detegere, sed etiam praemium nequitiae suae poscere audet. Imprimis Dareste persuadere sibi non potest Athenienses quamvis illis temporibus moribus corruptos hoc admissuros fuisse; ait l. l. pag. 2:

[1]) l. l. pag. 19 in. 20 extr.

[2]) De pactionibus in universum conferas Hermann. autt. III § 69. Platner II 334 sqq. De lit. Att. ed. I 493 sqq., ed. II 675 sqq.

„et si le type de la moralité n'était pas très-élevé en Grèce, il est cependant difficile d'admettre que les Athéniens eussent laisser plaider devant eux sur le partage des profits résultant d'un pact illicite"[1]) et quaestionem proponit, nonne Romanum illud: „Nemo auditur turpitudinem suam allegans" etiam Athenis valuerit. Et est profecto impudentia actoris vix credibilis neque extat ullum exemplum similis audaciae. Tamen si concedimus orationem nostram in vera causa habitam esse — id quod neque Dareste neque Caillemer negat — mea quidem sententia facere non possumus, quin quaestionem illam contra Athenienses diiudicemus et Romanum illud: „Nemo auditur turpitudinem suam allegans" Athenis non valuisse statuamus. Nam actor vel potius logographus, qui orationem ei scripsit, certe usum forensem noverat neque ignorabat, quibus finibus licentia dicendi circumscripta esset quidque iudices laturi essent, quid non, ac si ea, quae iram et indignationem eorum excitatura esse provideret orationi clientis immiscuisset, nonne stultissime egisset et causae clientis magno opere nocuisset?

---

[1]) Similiter paulo supra: „Que cette convention ait existé ou non, ce n'en est pas moins une chose étrange que de voir un plaideur s'accuser lui même d'une connivence honteuse et demander à la justice le prix de sa complicité dans une fraude." Eodem fere modo iudicat Caillemer l. l. pag. 173: „N'est-il pas étrange de voir ce plaideur argumenter d'un contrat déshonnête, se faire une arme d'une connivence frauduleuse et reclamer en justice le prix de sa mauvaise action?" — Dareste pactionem Callistrati et Olympiodori appellat „illicite" Caillemer „déshonnête", iure uterque opinor. Sed oritur hic quaestio num ex tali turpi et inhonesta pactione actionem intendere licuerit. In universum ut Romae, ita Athenis omnes pactiones, quae contra ius ac leges erant, videntur irritae fuisse neque ius actionis intendendae concessisse; cf. Plato. legg. XI pag. 920 D, Aristot. Rhet. I, 15, Digest. XLVII, 22. Erantne autem in harum numero pactiones in turpi causa? De ἑταιρήσει sive πορνείᾳ κατὰ συνθήκας, quam constat Athenis non raro usu venisse, alii viri docti hoc affirmaverunt, alii negaverunt, cf. Lipsium, de lit. Att. pagg. 680—681, cl. 732—733. Mihi ex eis quae apud Aeschinem I, 160 sqq. leguntur illud rectius videtur. Quod autem ad nostram pactionem attinet, disceptationem huius quaestionis pendere puto ex alia quaestione, utrum oratio nostra in vera causa habita sit necne. Illud si concedimus — neque video, cur non concedamus — ne dubium quidem esse potest pactionem Callistrati et Olympiodori ius actionis intendendae concessisse.

Dareste quidem magnam impendit operam, ut ignominiam et turpitudinem causae nostrae imminuat fraudique a Callistrato et Olympiodoro in altera lite hereditaria perpetratae meliorem speciem det. Actorem supra vidimus contendere se in hac lite affinem ex pactione cum eo facta omni modo adiuvisse, mendaciis et falsis testimoniis ab eo productis non oblocutum esse neque ullam vocem inter orationem eius emisisse, ratum eum pactionis memorem post litem obtentam dimidium hereditatis recuperatae sibi concessurum esse. Haec omnia Dareste dubitat num vere dicta sint. Negat Callistratum ad eventum litis Olympiodoro prosperum quidquam conferre potuisse; victoriam hunc sibi ipsi et meliori suo iuri debere, non silentio quod actor affini orante se tenuisse dicat. Hoc silentium partim inde explicandum esse, quod Callistrato omnino non licuerit in altera lite suo nomine quidquam dicere,[1] partim inde, quod etiamsi quid dicere voluisset, plane nihil habuisset, quod ad rem diceret. Etenim pactionem, ex qua cum reo se collusisse simulet, cum lite altera omnino nullum conexum habuisse: in qua Olympiodoro res non tam cum actore esset quam cum possessoribus hereditatis Cononis atque id maxime interesset, ut demonstraret, primum se non sua culpa, sed publico nomine a priore lite abfuisse, deinde sibi plus iuris in hereditatem Cononis competere quam eis quibus adiudicata esset. Cum his duabus quaestionibus pacto Callistrati et Olympiodori plane nihil commune fuisse, totam igitur collusionem, quam ille dicat pacto statutam esse, commenticiam et silentium eius inter orationem affinis prorsus consentaneum esse.

Donec defensionem Olympiodori non noverimus, qui verus rerum ordo fuerit, difficile erit statuere. Concedendum est vanitatem et simulationem a natura moribusque actoris non abhorrere neque improbabile esse eum hic illic a veritate deflexisse. Tamen ea, quae Dareste affert, mihi quidem persuadere non possunt, ut omnia quae actor de collusione et conspiratione cum reo dicit, falsa et ficta esse declarem. Ac primum quidem Callistrato nihil obstitisse, quominus ipse quoque

[1]) Vid. supra pag. 21.

eodem iure quo Olympiodorus in altera lite hereditaria suo nomine ageret, supra satis demonstrasse mihi videor.[1]) Deinde Dareste mihi iniuria videtur negare actorem ad eventum litis Olympiodoro prosperum quidquam conferre potuisse, etsi non nego hunc fortasse hereditatem minus actoris quam sua ipsius opera obtinuisse. Silentio, quod ille inter orationem affinis se tenuisse dicit,[2]) ne ego quidem ita multum tribuerim; nam hoc silentium simpliciter inde explicari potest, quod ex certis testimoniis eum qui in iudicio orabat, interrumpere nemini licebat nisi ipsis iudicibus.[3]) Attamen haud dubie etiam multis aliis modis Callistratus socio prodesse et victoriam ei faciliorem reddere potuit, imprimis eo, quod ipse in sua oratione illius mendacia non refutavit neque falsis testimoniis eius contradixit. Denique pactionem inter Callistratum et Olympiodorum factam ab altera lite hereditaria non tam alienam fuisse quam Dareste censet, perspicue apparet ex § 44, ubi actor ex Olympiodori oratione locum laudat, qui cum pactione illa arte cohaeret cf. § 44 *καὶ κατεχρήσατο πρὸς τοὺς δικαστάς, ὅτι ἐγὼ τὴν οἰκίαν, ἣν ἔλαβον ἐν τῇ μερίδι τῇ ἐμαυτοῦ, μεμισθωμένος εἴην παρ' αὐτοῦ, καὶ τὸ ἀργύριον, ὃ ἔλαβον, τὸ ἥμισυ τὸ ἀπὸ τῶν χιλίων δραχμῶν τῶν παρὰ τοῦ οἰκέτου, ὅτι ἐδανεισάμην παρ' αὐτοῦ.* Spectat hic locus ad hereditatis Cononis partitionem pactione statutam. Quae res quamquam cum duabus illis quaestionibus, quas Dareste in altera lite fere solas in examen vocatas esse existimat, minime cohaeret, tamen vix ab Olympiodoro memorata esset, nisi ad eventum litis ullius momenti fuisset.

Quoquo igitur modo res sese habet, mihi Darestii argumenta veritatem narrationis Callistrati, quoad ad alteram litem pertinet, non imminuere videntur et per se quidem pactio et collusio illa actoris et rei non ita improbabilis est. Quot et quanta artificia machinationesque in causis hereditariis Athenis

---

[1]) Vid. pagg. 23 sqq.

[2]) Cf. § 44 *κἀγὼ οὐδ' ὁτιοῦν ἀντέλεγον τούτοις, οὐδ' ἤκουσέ μου φωνὴν οὐδεὶς ἀνθρώπων, ὅτε οὗτος ἠγωνίζετο, οὔτε μικρὰν οὔτε μεγάλην, ἀλλὰ προσωμολόγουν ἀληθῆ εἶναι πάνθ' ὅσα οὗτος ἐβούλετο λέγειν.*

[3]) Cf. de lit. Att. ed. I pag. 717 not. 44. **Platner.** l. l. I Introduct. pag. XXXII.

adhibita sint, quibusque controversiis et litigationibus hereditates *ἐπίδικοι* vulgo obnoxiae fuerint ex Isaei maxime et Pseudo-Demosthenis orationibus in causis hereditariis habitis satis notum est, in quibus similium pactionum et collusionum saepenumero mentio fit.[1]) Inprimis Isaeus de Hagniae hereditate §§ 20—23 de pactis eius modi ad lucri partitionem spectantibus ut de re plane consentanea et vulgari loquitur ac legem commemorat, ex qua ea inire eis tantum licebat, qui diversis titulis, ita ut postulationes eorum se excluderent, hereditatem vindicarent, non eis, qui eodem titulo in eandem hereditatis partem agerent, cf. § 20 *καὶ νυνὶ λέγει, ὡς ἐκοινωσάμεθα ἐγώ τε καὶ Στρατοκλῆς, τὸν ἀγῶνα εἰσιέναι περὶ τοῦ κλήρου μέλλοντες· ὃ μόνοις ἡμῖν τῶν ἀμφισβητεῖν παρεσκευασμένων οὐκ ἐνῆν διομολογήσασθαι πρὸς ἀλλήλους. Τῇ μὲν γὰρ Εὐβουλίδου θυγατρὶ καὶ τῇ Ἁγνίου μητρὶ πρὸς ἡμᾶς ἀγωνιζομέναις, μὴ κατὰ ταὐτὸ ἀμφισβητούσαις, ἐνῆν ποιήσασθαι συνθήκας, ἂν ἡ ἑτέρα νικᾷ μετεῖναί τι καὶ τῇ ἡττηθείσῃ· καδίσκος γὰρ ἔμελλεν ἑκατέρᾳ τεθήσεσθαι. τὸ δ' ἡμέτερον οὐ τοιοῦτον ἦν, ἀλλ' ἓν τὸ γένος, δύο δὲ λήξεις, ἡμικληρίου ἑκατέρῳ· τοῖς δὲ κατὰ ταὐτὰ ἀμφισβητοῦσιν εἷς τίθεται καδίσκος,*[2]) *οὗ οὐκ ἂν ἦν τὸν μὲν ἡττᾶσθαι τὸν δὲ νικᾶν, ἀλλ' ὁμοίως ἀμφοτέροις ἦν ὁ αὐτὸς κίνδυνος, ὥστ' οὐκ ἐνῆν κοινωνίαν οὐδὲ διομολογίαν ποιήσασθαι περὶ αὐτῶν. — ὅτι δ' οὐχ οἷόν τ' ἦν τούτων γίγνεσθαι οὐδέν, ἀλλὰ διῄρηται καθ' ἕκαστον περὶ αὐτῶν, ἐκ τοῦ νόμου γνῶναι ῥᾴδιον.*[3]) Consentaneum est has pactiones collusionum eiusmodi cuius Callistrati et Olympiodori est facillime ansam praebuisse. Exemplum simillimum extat in Pseudo-Demosth. or. adv. Macart. § 7 *συνομόσαντες καὶ συνθήκας γράψαντες πρὸς ἀλλήλους καὶ καταθέμενοι παρὰ Μηδίῳ Ἁγνουσίῳ Θεόπομπος — καὶ Γλαύκων καὶ Γλαῦκος — οὗτοι ἅπαντες κοινῇ ἐπιβουλεύσαντες προσεκαλέσαντο τὴν γυναῖκα πρὸς τὸν ἄρχοντα εἰς διαδικασίαν τοῦ κλήρου τοῦ Ἁγνίου* ibid. § 9 *καὶ τὸ σόφισμα ἦν τοῦτο*

[1]) De Boor l. l. pagg. 100—101, Caillemer l. l. pagg. 172 sqq.

[2]) Vid. supra pag. 12 not. 2.

[3]) Ex hac lege e. g. pactio inter Callippum et Callistratum fieri non potuit, cum uterque semissem hereditatis peteret.

αὐτοὺς μὲν ἑαυτοῖς συναγωνίζεσθαι καὶ ὁμολογεῖν πάντα cf. §§ 38, 30. Quae collusiones quamquam utique reprehendendae sunt, tamen considerandum est veteres de fraudibus et insidiis nequaquam eadem severitate qua nos iudicasse.[1])

Callistratum in altera lite hereditaria Olympiodori causam omni modo adiuvare et huic, non sibi victoriam parare studere, non est quod miremur; non enim ignorabat sese, si Olympiodorus in assem hereditatis agens vinceret, dimidiam, sin ipse in semissem agens vinceret, quartam tantum partem hereditatis obtenturum esse; namque pacto statutum erat, ut lucrum ex aequo divideretur.

Olympiodorus pactionem ter violavit, primum quod de Moschione seorsum quaestionem habuit[2]) Callistrato non arcessito, deinde quod septuaginta minas Moschioni ereptas integras retinuit, tum quod post alteram litem hereditariam obtentam et hereditatem Cononis recuperatam actori ex ea nihil impertiit. Is repetit hac actione dimidiam partem et pecuniae servo extortae et bonorum a Conone relictorum. Hanc pecuniam in tota oratione mirum in modum urgueri A. Schaefer recte animadvertit. Videtur ea actori paene maioris momenti esse quam dimidia pars hereditatis; multo certe copiosius quam ex rei pondere exspectamus de ea dicit et semper eam iuxta hereditatem, plerumque loco priore, commemorat cf. imprimis § 37 *πλεῖστοι δ' αὐτοῦ ἀκηκόασι λέγοντος, οἱ μὲν ὅτι τὸ παράπαν οὐκ ἔλαβε τὸ ἀργύριον παρὰ τἀνθρώπου. ἐπειδὰν δὲ τουτ' ἐξελέγχηται, πάλιν λέγει ὅτι παρὰ τοῦ αὐτοῦ ἀνθρώπου ἔχει τὸ ἀργύριον καὶ οὐ μεταδώσει ἐμοὶ οὔτε τοῦ ἀργυρίου οὔτε τῶν ἄλλων οὐδενὸς ὧν κατέλιπε Κόνων.* §§ 19—20 cl. 34 a provocationis mentio fit de hac pecunia factae; de hereditate talis

---

[1]) Conferas quae G. H. Schaefer adnotat de Callistrati cum Olympiodoro collusione pag. 1166 v. 9: „Improbitas haec fuit, quod Callistratus passus est Olympiodorum subornatis uti testibus, de fraude porro taciturus, si ille in pacto mansisset. Non laudandum facinus, sed cui prisci illi homines *δόλους καὶ ἀπάτας* alio quam nos modulo metientes veniam facile darent. Adde quod subornati illi testes testati sunt ea, quae si Olympiodorus fidem falleret, ipsi Callistrato nocerent."

[2]) De quaestionibus Moschionis cf. Guggenheimi d. q. i. Die Bedeutung der Folterung im attischen Process, pag. 30.

provocatio non videtur facta esse, certe nihil de ea legimus. Cf. praeterea §§ 27, 32, 34 b, 35. Quae res forsitan ita explicanda est. Pecuniam illam, quam Olympiodorus paulo post hereditatis partitionem Moschioni extorserat cuiusque dimidium contra pactionem affini dare recusat, ei qui priore lite hereditaria vicerant, non una cum reliqua hereditate obtinuerant; nam § 27 expresse legitur „*τὰ δ' Ὀλυμπιοδώρου ἀποδημοῦντος τούτου ἅπαντα ᾤχοντο λαβόντες, πλὴν τοῦ ἀργυρίου, οὗ εἶχεν αὐτὸς παρὰ τοῦ ἀνθρώπου — οὐ γὰρ εἶχον ὅπου λαμβάνοιντο τοῦ ἀργυρίου.*“ Quae cum ita essent, haec pecunia altera lite neque ab illis repeti poterat, quippe qui eam omnino non possedissent, neque Olympiodoro, qui altera lite vicit, addici, cum iam in possessione eius esset. Haec autem possessio proprie contra ius ac leges erat, cum non sicut possessio reliquae hereditatis sententia iudicum (scl. in altera lite facta) niteretur, ac puto Callistratum hoc non ignorantem pecuniam illam in tota oratione ubique urguere, utpote qui huius pecuniae impetrandae maiorem spem sibi videatur habere quam reliquae hereditatis; haec enim Olympiodoro in iudicio iusto iure addicta erat, illa non.[1])

Actio, quam Callistratus adversus Olympiodorum intendit, in libris manuscriptis appellatur *δίκη βλάβης*; inscribitur enim oratio *κατὰ Ὀλυμπιοδώρου βλάβης*. Platner l. l. II pag. 369 cl. 357 in hac inscriptione offendit, quia nimis generalis sit; quamquam enim actio nostra quodammodo ad genus actionum damni pertineat, tamen eis actionibus, quae ex contractu violato intendantur, proprium nomen esse *συνθηκῶν* vel *συμβολαίων παραβάσεως*: de hac igitur actione in causa nostra cogitandum esse. *Βλάβης δίκας* non nominari nisi eas actiones damni, quibus proprium nomen non sit. Plane eundem errorem corrigendum esse in Pseudo-Demosthenis or. adv. Dionysodorum, quae sicut nostra in libris falso *βλάβης λόγος* pro *συνθηκῶν παραβάσεως* inscripta sit;[2]) nam hic quoque fundamentum causae

[1]) Credideris etiam Olympiodorum de pecunia tantum Moschioni extorta Callistrato nihil impertiisse, contra reliquam hereditatem non integram retinuisse, sed inique tantum (*πλεονεκτικῶς*) contra pactum cum eo partitum esse.

[2]) Blassium qui hic de *δίκῃ δανείου* cogitat (de eloqu. Att. III, 1 pag. 521) recte refellit Lipsius de lite Att. ed. II pag. 224 not. 65.

contractum violatum esse. Sed δίκη συνθηκῶν παραβάσεως, de qua perpauca scimus, ipsa quoque actio generalis fuit (cf. de lit. Att. ed. I pag. 510, ed. II pag. 697) et cum inscriptio orationis „κατ' Ὀλυμπιοδώρου βλάβης" non modo libris tradita sit, sed etiam Dionysii Halicarnassensis auctoritate firmetur,[1]) non est quod Platneri sententiam amplectamur. Accedit, quod, si haec sententia vera esset, oratio inscribenda esset πρὸς Ὀλυμπιόδωρον, non κατὰ Ὀλυμπιοδώρου. Cf. de lit. Att. ed. I pag. 510 cl. 489, ed. II pag. 697 cl. 670.

Δίκη βλάβης, quod modo dixi, actio valde generalis erat, quippe concessa ubicumque damnum aliquo modo allatum erat. Singula genera eius de lit. Att. ed. I pag. 475 sq., ed. II pag. 650 sq. fusius tractantur neque huius loci est accuratius in ea inquirere. Magistratus, ad quos deferenda erat, pro diversis eius generibus admodum diversi erant; in nostra causa Lipsius mihi non invito persuasit de XL viris (οἱ κατὰ δήμους δικασταί) cogitandum esse, non de thesmothetis, de quibus Meier cogitaverat.[2]) Deinde dubium esse potest, utrum causa haec ἀγὼν τιμητὸς (lis aestimanda) an ἀγὼν ἀτίμητος (lis non aestimanda) sit. Meier de lite Attica ed. I pag. 186 sqq., ed. II pagg. 222 sqq., ubi singulas actiones βλάβης secundum hanc rationem percenset, orationis adversus Olympiodorum habitae mentionem non facit, sed de simili causa orationis adversus Dionysodorum recte haec dicit:

„War nun in einem Contracte auf die Nichterfüllung eine Conventionalstrafe gesetzt, so hatte das Gericht blos zu untersuchen, ob der Vertrag nicht erfüllt sei und in diesem Falle die Conventionalstrafe auszusprechen; hier ist diese Klage unschätzbar. Dies ist der Fall in der pseudo-demosth. Rede gegen Dionysodor βλάβης."

Talem poenam quamquam pactio Callistrati et Olympiodori non continet, tamen ita certis verbis concepta est, ut τίμησις

---

[1]) Dionys. de Dem. vi cap. 13 „καὶ ὁ κατ' Ὀλυμπιοδώρου βλάβης".

[2]) Lipsius de lit. Att. ed. II pagg. 90 sqq. nisus nonnullis locis oratorum et grammaticorum contra Meierum docet, omnes fere causas privatas, si infra decem drachmas essent, ab ipsis XL viris, sin supra, eis praesidibus disceptatas esse.

videatur exclusa esse. Si reus litem perdidisset, sine dubio dimidiam partem et pecuniae Moschioni extortae et reliquae hereditatis expendere debuit. Reliquis rebus, causae cognitione (*ἀνάκρισις*), actione iudiciali, sacramentis cet. *δίκη βλάβης* a ceteris actionibus privatis non differt. —

Eventum litis equidem vix crediderim Callistrato prosperum fuisse. Etenim contra actorem id maxime facere Blass l. l. pag. 501 recte animadvertit, quod hereditatem Cononis altera lite hereditaria Olympiodoro adiudicari silentio passus sit neque ullo modo prohibuerit. Itaque Olympiodorus omnibus eius postulationibus et incusationibus simpliciter opponere poterat se hereditatem Cononis sibi in iudicio acquisivisse, ius suum a iudicibus agnitum et concessum, contra ius actoris repulsum et reiectum esse. Hanc oppositionem is non ignorans refelli non posse omnino non conatur refellere, sed prorsus silentio praetermittit et totam vim argumentationis in pacto ponit, quod Olympiodorum secum fecisse, sed non servasse contendit. Praecipue demonstrare studet se confidentem affinem in pacto mansurum esse in altera lite hereditatem ei adiudicari non modo non prohibuisse, sed potius cum eo collusisse et victoriam ei silentio suo comparasse.[1]) Tamen ne ex hac quidem parte multum proficit. Nam argumenta ab eo prolata plerumque futtilia et invalida sunt, cum ipsa per se spectata, tum propterea quod fere nusquam testimoniis comprobantur. De singulis argumentis lecturos satis habeo remisisse ad Uhlei quaestiones, qui pagg. 19—20 totam argumentationem actoris in universum recte percenset et infirmitatem eius luculenter patefacit.[2]) Ex omnibus argumentis mihi maximi momenti ea

[1]) Cf. Volkmanni l. q. i. Die Rhetorik der Griechen und Römer, Berol. 1872, pag. 203.

[2]) Tamen respicias quaeso, quae supra pagg. 26 sqq. contra Uhleum disputavi. Errat v. d. praeterea in eo, quod pag. 19 (in fine) dicit: „Illud quoque argumentatum (lege argumentum), quo orator, ut Callistratum tacuisse evincat, utitur, *cum ab adversario non falsorum testimoniorum accusatum esse,* infirmum est cet;" dicendum fuit „eum testes illos, qui mendacia Olympiodori in altera lite hereditaria testati erant, non falsi testimonii accusavisse" cf. § 45 *ἐπεὶ εἰ μή ἐστι ταῦτ' ἀληθῆ ἃ λέγω, διὰ τί οὐκ ἐπεσκηψάμην ἐγὼ τότε τοῖς μάρτυσι τοῖς ταῦτα μαρτυροῦσιν.* — Ceterum

duo videntur esse, quae Callistratus extremo loco profert (§§ 46 sqq.) quaeque etiam testimoniis confirmat. Olympiodorus pactione apud Androclidem deposita, ex qua iudicio arcessitus est, se non iam teneri contendit, quippe quae a Callistrato violata sit. Huic is § 46 recte opponit debuisse Olympiodorum, siquidem pactionem ab actore violatam seque hac de causa non iam ea teneri existimasset, hoc testibus adhibitis Androclidae denuntiare et ab eo petere, ut pactio tolleretur. Quod non factum esse, testimonio Androclidis firmatur (§ 47). Deinde praeiudicium adversus Olympiodorum inde repetitur, quod provocationi actoris pactionis communiter aperiendae exscribendae apographique in echino ponendi non oboedivit, cf. §§ 48—49. Hanc provocationem Callistratus in ipso iudicio redintegrat §§ 50—51. Contra admodum vereor, ne digressio illa in fine orationis posita, qua vita et mores adversarii carpuntur, iudicum animos nullo modo moverit. Olympiodorus ibi scortum domi habere dicitur, quod eum ad insaniam et dementiam impellat. Hoc scortum cum actorem tum uxorem et filiam eius summis iniuriis afficere, quia pulchrius et splendidius vestitum in publicum prodeat quam illae. Quae quam frigida et pusilla sint nemo non sentit.[1])

Quae cum ita sint, non dubium est, quin Olympiodoro facile contigerit, ut criminibus argumentisque Callistrati dilutis victor e lite discederet. Videtur praeterea homo fuisse nequitia et avaritia actori par, astutia autem et calliditate valde superior; cuius agendi ratio suspicionem movet eum a principio

---

ἐπισκήψασθαι μάρτυρι non is dicitur, qui testem falsi testimonii (*ψευδομαρτυριῶν*) accusat, sed qui hoc se facturum esse testi denuntiat cf. de lit. Att. ed. II pag. 491 cum not. 46.

[1]) Conferas quae H. Wolf adnotat ad 1182, 3 *διέφθαρται] τὴν διάνοιαν.* „Sed quomodo probat? Quia mavult amicae dare, quam affini, cui si hereditatis semissem concessisset, et sensuum et mentis integritate floruisset. Haec sunt praeclara cupidorum hominum iudicia.“ Neque inficete G. H. Schaefer ad verba *πῶς γὰρ οὐκ ἀδικοῦνται* (sc. uxor et filia Callistrati) pag. 1182, 25 ait: „Hinc illae lacrimae. Quis enim dubitet matrem familias cum marito cotidie expostulantem de concubinae illius cultu vestituque, quem ipsa aequare non posset, magnas hac in lite partes habuisse.“

dolose et fraudulenter egisse et affinem in tota re callide decepisse. Ad hanc litem etiam adiutores (*συνηγόρους*) dicendi peritos sibi comparavit cf. § 36 *ἵνα μὴ αὐτίκ' ἐξαπατήσωσιν ὑμᾶς οἱ ῥήτορες, οὓς οὑτοσὶ παρεσκεύασται ἐπ' ἐμέ.* Ceteroquin Callistratus ne ipse quidem ita magnam spem litis obtinendae videtur habuisse. Nam ex omnibus fere quae dicit, ni fallor, anxietas quaedam nequiquam tecta et obumbrata elucet. Huic rei documento est imprimis prooemium et peroratio, unde perspicue apparet, quam invitus actor litem adversus affinem intenderit, quantum laborem in servandam eius gratiam et efficiendam transactionem impenderit, quanti eius intersit litem etiam in ipso iudicio componi. Cf. prooemii verba § 2 *εἰ μὲν οὖν μὴ ἀδικούμενος — τούτων τι ἐποίουν, ἢ τοῖς ἐπιτηδείοις — μὴ ἐθέλων ἐπιτρέπειν ἢ ἄλλου τινὸς τῶν δικαίων ἀφιστάμενος, εὖ ἴστε ὅτι πάνυ ἂν ᾐσχυνόμην καὶ ἐνόμιζον ἂν ἐμαυτὸν φαῦλον εἶναι ἄνθρωπον· νῦν δ' οὔτε μικρὰ ἐλαττούμενος ὑπὸ Ὀλυμπιοδώρου, οὔτε διαλλακτὴν οὐδένα φεύγων, οὔτε μὰ τὸν Δία τὸν μέγιστον ἑκών, ἀλλ' ὡς οἷόντε μάλιστα ἄκων ἠνάγκασμαι ὑπὸ τούτου ἀγωνίζεσθαι ταύτην τὴν δίκην.* § 3 *δέομαι οὖν ὑμῶν — μάλιστα μὲν διαλλάξαντας ἀποπέμψαι καὶ εὐεργέτας ἡμῶν ἀμφοτέρων ὑμᾶς γενέσθαι* — perorationis verba § 57 *ἱκετεύομεν ὑμᾶς καὶ ἀντιβολοῦμεν, ὦ. ἄ. δ., — μάλιστα μὲν τουτονὶ Ὀλυμπιόδωρον πεῖσαι μὴ ἀδικεῖν ἡμᾶς.* Vid. praeterea §§ 1, 8, 40.

Denique quo tempore oratio habita sit, satis certe definiri potest ex § 26, ubi archonte Pythodoto praeside lis hereditaria prior acta esse dicitur. Pythodotus quoniam archon fuit anno Olymp. 199, 2 = a. Ch. 343/42, huic anno et lis prior et expeditio illa Atheniensium in Acarnaniam missa assignanda est, cui Olympiodorus interfuit quaque prohibitus est in iudicio apparere. Hanc expeditionem si cum A. Schaefero[1]) statuimus incidisse in hiemem anni 343, verisimile est causam orationis nostrae anno demum 342 vel 341 (sic Blass l. l. pag. 498) actam esse. Namque inter eam et expeditionem Acarnanicam

[1]) De Demosthene II pag. 400.

iacet etiam altera lis hereditaria, quae sine dubio ipsa quoque aliquantum temporis absumpsit, praesertim cum illis temporibus turbulentis iurisdictio, ut videtur, non ita properata esset. Omnino memorabile est propter expeditionem illam non iustitium causarum privatarum indictum esse, id quod belli temporibus plerumque fieri solebat.[1])

Caput II.

De scriptore orationis adversus Olympiodorum habitae.

Veteres grammatici ct critici, quin Demosthenes auctor orationis adversus Olympiodorum habitae esset, nunquam videntur dubitasse. Dionysius Halicarnassensis de Demosth. vi cap. 13, ubi Demosthenis stilum cum Lysiaco comparat, orationem inter Demosthenicas eas enumerat, quae Lysiae indolem omnium maxime exprimant — *τοσαύτην οἱ χαρακτῆρες πρὸς ἀλλήλους ὁμοιότητα ἔχουσιν· τοιοῦτός ἐστι* (sc. *οἷος ὁ κατὰ* ***Κόνωνος*** *λόγος*, de quo modo actum erat) *καὶ ὁ πρὸς Ἀπολλόδωρον ὑπὲρ* ***Φορμίωνος*** *καὶ ὁ κατ᾽* ***Ὀλυμπιοδώρου*** *βλάβης καὶ ὁ πρὸς* ***Βοιωτὸν*** *ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος ἥ γε πρὸς* ***Εὐβουλίδην*** *ἔφεσις καὶ ἡ πρὸς* ***Μακάρτατον*** *διαδικασία καὶ οἱ ἄλλοι πάντες οἱ ἰδιωτικοὶ λόγοι, οὐ πολλῷ πλείους τῶν εἴκοσι ὄντες.* Nominatur igitur oratio nostra iuxta optimas Demosthenis orationes privatas adversus Cononem et pro Phormione habitas. Etiam Harpocratio, Pollux, Libanius, Lexica Segueriana orationem adversus Olympiodorum semper inter genuinas laudant neque aliter iudicaverunt recentiores usque ad A. Schaeferum, qui primus in orationes privatas, quae sub Demosthenis nomine circumferuntur, accuratius inquirens, definite eam reiecit.[2]) Assensi sunt ei plerique recentissimi, Sigg, Dareste, Blass alii. Unus

---

[1]) Cf. de lit. Att. ed. I pag. 154, ed. II pag. 187.

[2]) Non curo hic Benselerum, qui iam ante Schaeferum in libro de hiatu in oratoribus Atticis et historicis graecis Friberg. 1841 orationem a Demosthene abiudicaverat. Cf. infra pag. 75.

tantum atque is vir et sagacissimus et in Demosthene versatissimus, H. Weil, patronus orationis extitit satis disertus in introductione editionis contionum Demosthenicarum.[1])

A. Schaefer et qui cum eo orationem adversus Olympiodorum a Demosthene abiudicant, velut Blass, Dareste duobus potissimum argumentis nituntur, quorum alterum repetunt ex causa quae agitur, alterum ex genere dicendi. Primum enim dicunt ab omni veri similitudine abhorrere Demosthenem, hominem summa morum severitate et integritate, eo descendisse, ut causam tam malam turpemque defendendam suciperet. Cui argumento Weil obicit logographos Atheniensium suam quandam morum rationem secutos esse, qua multa, quae nobis maximae offensioni sint, illis fortasse recta neque inhonesta visa sint; hac liberiore morum ratione ne Demosthenem quidem, quamdiu logographi arti operam navaret, se expedire potuisse. Haud dubie in Weilii obiectione aliquid veri inest. Satis constat artem logographorum apud veteres non ita magni factam esse et semper magis minusve infamatam fuisse. Velut Aeschines Demostheni identidem exprobrat, quod illi arti operam dedit, cum se ipsum ea abstinuisse glorietur. Isaeus autem, unus ex celeberrimis logographis cum etiam causas minus iustas atque honestas susciperet et sollerter defenderet, paene in rabulae famam venit. Quodsi nobiscum reputamus Demosthenem Isaei discipulum fuisse studiosissimum, num admodum mirum esset, si non modo in virtutibus, sed hic illic etiam in vitiis praeceptorem imitatus esset? Blass ipse credit Demosthenem in eadem causa utrique parti inservisse, cum et orationem XLV pro Apollodoro adversus Stephanum et orationem XXXVI contra Apollodorum pro Phormione habitam ei assignet, et licet haec inconstantia, ut Blass opinatur, ex studio de republica bene merendi profecta sit, nos eam semper improbabimus neque vituperare non poterimus.

Quae cum ita sint, priori Schaeferi et Blassii argumento ex turpitudine causae repetito ne ego quidem ita multum tribuerim.

---

[1]) Weil, les harangues de Démosthène. Paris 1881, pagg. XI et XII.

Multo maioris ponderis est alterum argumentum, quod A. Schaefer et qui cum eo faciunt, ex genere dicendi sumpserunt; quod si accuratius examinaverimus, a Demosthenico valde abhorrere videbimus. Gravissimas res, quae dubitationem movent, iam A. Schaefer l. l. pag. 240 indicavit et vel hae quamvis paucae mea quidem sententia satis idoneae sunt, quae tibi de origine Demosthenica or. XLVIII maximam suspicionem iniciant. Weil iudicio Dionysii Halicarnassensis nisus vitia a Schaefero notata a scriptore quaesita et ex studio orationis vitae condicioni moribus actoris quam maxime accommodandae (ἠθοποιία) profecta censet, ait l. l. pag. XII „J'avoue que ces négligences me charment —. Le demandeur déclare qu'il ne sait point parler; il met ses juges en garde contre les artifices des rhéteurs, dont son adversaire s'est procuré le secours (cf. §§ 1, 36); il se pose en homme simple, confiant, joué par le défenseur; et *cette innocence de sa conduite, il la porte aussi dans son langage. Voilà une des roueries du métier*, et je ne sais si Denys n'admirait pas comme le triomphe de l'art les mêmes négligences que blâme le critique allemand, trop jaloux, je crois, de sauver la haute moralité de son héros.“ Sed Blass l. l. pag. 499 his iure suo opponit neque Demosthenis neque alius clari oratoris esse vitioso genere scribendi quasi artificio logographico uti („rouerie du métier“) ad exprimendam orantis simplicitatem et dicendi imperitiam. Quod quidem aliae orationes Demosthenicae, quae ipsae quoque pro hominibus dicendi ignaris scriptae sunt, velut pro Phormione, in Calliclem, adversus Cononem satis superque docent. In has orationes, cum de differentiis disputabo, quae intercedunt inter Demosthenem et nostrae orationis scriptorem, inprimis animum intendam. Ex eis quae prolaturus sum satis apertum fore spero orationem adversus Olympiodorum habitam ab orationibus vere Demosthenicis[1]) alienissimam, summo igitur iure a Schaefero Blassio al. ab oratorum principe abiudicatam esse. Primum autem dicam de dispositione, tum de elocutione orationis.

---

[1]) Verae mihi sunt orationes I—VI, VIII—IX, XIII—XVI, XVIII—XXIV, XXVII—XXXI, XXXVI—XXXIX, XLI, XLV, LIV—XV, LVII prooemia, epist. I—III.

A. De dispositione.[1])

Prooemium §§ 1—4.

Non in se, sed in reo culpam huius litis esse actor exponit:

1) Invitum et summa necessitate coactum sese, hominem dicendi imperitum et rei affinem, hanc litem intendisse, postquam omnes vias in gratiam cum illo redeundi frustra expertus sit (1—2).

2) Precari iudices, ut re audita et examinata si ullo modo fieri possit, reconciliationem inter se et reum efficiant, si minus, ut ei qui iusta loqui videatur, suffragentur (3)

Testimonia recitantur,

quibus probatur adversarium hanc litem excitavisse. Transitio ad narrationem (4).

Testimonia prooemio male inserta iam Blass l. l. pag. 501 vituperavit; neque Demosthenes neque ceteri oratores testimonia in prooemio ponunt. Similis insolentia invenitur in oratione adversus Apaturium, ubi statim post prooemium leges recitantur.[2]) Porro scriptor prooemii nostri causam quae agitur non breviter indicat, id quod Demosthenes fere semper facit; neglexit igitur praeceptum illud rhetorum auditores dociles reddendi.[3]) Magna industria impensa est in captationem benevolentiae, neque iniuria, cum causa quae agitur, satis dubia sit.

Tres principales partes orationis narratio (*διήγησις*), probatio (*ἀπόδειξις* sive *πίστεις*), refutatio (*τὰ πρὸς ἀντίδικον* sive *λύσις*) in oratione XLVIII non accurate inter se distinctae sunt. Narratio ex more oratorum Atticorum hic illic testimoniis instructa duobus locis extenditur §§ 43—44 et 48—49, i. e. res quas in narratione exspectaveris postea (*προϊόντος τοῦ λόγου*) memorantur.[4]) Probatio vel argumentatio partim inartificialis est, *πίστεις ἄτεχνοι*: testimonia leges etc.,

[1]) Cf. Uhlei quaestiones pagg. 40 sqq.

[2]) Cf. E. Schulzii prologomen. in Demosth. quae fertur orationem adversus Apaturium. Lips. 1878, pag. 39.

[3]) Ex praeceptis rhetorum auditores prooemio benivoli attenti dociles reddendi sunt cf. Quintil. IV, 1, 5. Volkmann, Rhetorik pagg. 40 proxx.

[4]) Uhle pag. 41 extr.

partim inartificialis πίστεις ἔντεχνοι: argumenta sive ex testimoniis repetita sive mera coniectura effecta.[1]) Probatio inartificialis in or. XLVIII propriam partem efficit,[2]) quamquam nonnulla testimonia iam in narrationem inserta sunt,[3]) contra probatio artificialis cum refutatione sive λύσει plane confusa est. Videtur autem mihi oratio nostra inde a § 5 hoc modo disponenda esse.

Narratio (διήγησις) §§ 5—32,

a. 5—7 quomodo pactio de hereditate Cononis, qua actio nititur, orta sit exponitur,

b. 8—11 pactio ipsa accuratius describitur,
   Lex de pactionibus faciundis
   Testimonium Androclidis, apud quem pactio deposita est,

c. 12—13 Hereditatis partitio,

d. 14—18 Furta servi Moschionis,

e. 19—20a Actor Olympiodorum frustra provocat, ut septuaginta minas ex altero furto secum partiatur,

f. 20b—28a Prior lis hereditaria,

g. 28b—31 Altera lis hereditaria,

h. 32 Olympiodorus neque de hereditate recuperata neque de pecunia Moschioni extorta quidquam expendit.

§§ 33—34 Probatio inartificialis (πίστεις ἄτεχνοι),
Testimonium de partitione hereditatis,
Provocatio de pecunia Moschioni extorta,
Testimonium de eventu litis prioris.

§ 35 Recapitulatio.

§§ 36—50a Refutatio (τὰ πρὸς ἀντίδικον) cum probatione artificiali (πίστεις ἔντεχνοι) confusa,

§§ 36—38 Obiectiones adversarii,

a. adversarium mendaciis et fallaciis uti, nunquam sibi constare, sed mox hoc mox illud dicere (36),

b. Mox dicere se omnino nullam pecuniam a Moschione accepisse, mox se a suo servo eam accepisse neque aut de pecunia aut de reliqua hereditate actori quidquam daturum esse (37), cum

c. hic ipse pactionem violaverit et semper sibi et re et verbis adversatus sit (38);

---

[1]) Cf. Volkmann. l. l. pag. 136.

[2]) §§ 33—34.

[3]) §§ 11, 30, 49.

§ 39 Propositio (πρόθεσις),

Promittit orator se argumentis et testimoniis certissimis demonstraturum esse adversarium mentiri et hominem impudentissimum esse;[1])

§§ 40—49 Impudentia (ἀναισχυντία) rei demonstratur,

a. eo, quod litem cognatis et familiaribus ut arbitris disceptandam permittere noluit (40),

b. eo, quod actorem contra veritatem pactionis[2]) violatae et iniuriarum sibi inlatarum incusat (41—45),

c. eo, quod pactionem, qua se iam non teneri contendit, non ante litem intentam ab Androclide solvendam curavit (46—47). — Testimonium Androclidis

d. eo, quod provocationem actoris pactionis communiter aperiendae exscribendae apographique in echino ponendi repudiavit (48—49). — Testimonium;

§ 50a Recapitulatio (πῶς ἂν οὖν μᾶλλον cet.)

§§ 50b—51 Provocatio §§ 48—49 memorata in ipso iudicio redintegratur.

§§ 52—56 Digressio, qua demonstratur Olympiodorum vesanum reddi a scorto, quod pro uxore domi redemptum habeat. Provocat actor ad legem Solonis, ex qua quodcunque quis a muliere impulsus faciat, irritum sit.

§§ 57—58 Peroratio.

Orantur iudices, ut si fieri possit litem componant, si minus, ut id, quod optimum et iustissimum sit, decernant.

Hanc dispositionem quisquis perlustrabit, mirandam illam perspicuitatem et concinnitatem, qua Demosthenis orationes privatae excellunt, frustra quaeret.

---

[1]) φανερῶς δ᾽ ἐπιδείξω τὴν τούτου ἀναισχυντίαν, τεκμήρια λέγων ἀληθινὰ καὶ πᾶσι γνώριμα, καὶ μάρτυρας παρεχόμενος περὶ ἁπάντων. Hanc πρόθεσιν Blass l. l. pag. 498 et Uhle l. l. pagg. 42 sqq. non referunt nisi ad refutationem inde a § 40 usque ad § 47; mihi pertinere videtur ad totam orationis partem inde a § 40 usque ad § 50a. Nam ἀναισχυντία adversarii etiam §§ 48—50a demonstratur.

[2]) Falsas esse incusationes Olympiodori actor ex eo colligit, quod omnes sumptus necessarios una cum eo fecerit, quod in priore lite hereditaria petitione eius deleta suam petitionem ipse quoque destituerit (§§ 41 et 42) quod in altera lite hereditaria e pacto cum eo colluserit (§§ 43—45). Hanc collusionem ut approbet actor maximam operam impendit, quia cardo argumentationis in ea ponitur, v. s. pag. 36.

Narratio, quamquam in universum lucida et probabilis est, tamen nimia longitudine laborat[1]) ac paene in infinitum extensa est. Complectitur enim plus dimidio totius orationis, ex 58 §§ non minus quam 33 (§§ 5—32, 43—44, 48—50); quocum conferas, quaeso, narrationes in nonnullis orationibus vere Demosthenicis:

in or.	XXVII	(adv. Aphob. I)	ex 69 §§	narratio	complectitur	3 §§ (4—6)
„ „	XXVIII	(„ „ II)	„ 24 §§	„	„	4 §§ (14—17)
„ „	XXXVII	(in Pantaenet)	„ 60 §§	„	„	13 §§ (4—16)
„ „	LIV	(adv. Cononem)	„ 44 §§	„	„	6 §§ (7—12)
„ „	XXXXV	(adv. Steph. I)	„ 88 §§	„	„	5 §§ (3—7).

In pluribus orationibus Demosthenicis propria narratio deest (ut in XXXI, XXXVIII), in aliis cum probatione iuncta est (ut in XXXVI). Magna pars eorum, quae in or. XXXXVIII narrantur otiosa et superflua sunt, res minimi momenti magnis ambagibus describuntur, fere omnia iterantur.

Argumentatio et refutatio, quae in genuinis orationibus summam efficiunt maximaque arte elaboratae sunt, hic multo brevius absolvuntur neque nullam reprehensionis ansam praebent. De infirmitate argumentationis Demosthene prorsus indigna iam supra dictum est (pagg. 36 sqq.). Refutatio non plena est; nam ex tribus obiectionibus adversarii tertia tantum etsi gravissima refellitur (actorem pactum violasse et reo semper adversatum esse § 38).[2]) Deinde longissime ab usu Demosthenico recedit quod primum singulae obiectiones adversarii enumerantur et postquam omnes enumeratae sunt refutatio sequitur (vid. schema dispositionis). Demosthenes plerumque unamquamque obiectionem statim refutationem facit subsequentem et eximia arte adversario omnia effugia excusationesque praecidit.

At Uhleo (l. l. pag. 45) minime assentiri possum, quod inde a § 40 miram confusionem statuit. „Refutationi enim

---

[1]) Ex praeceptis rhetorum narratio (διήγησις) lucida (σαφής) probabilis (πιθανή) brevis (σύντομος) esto. Dion. Hal. de Dem. cap. 34 *καὶ τῆς σαφηνείας καὶ τῆς συντομίας καὶ τοῦ πιθανοῦ χωρίων ἀποφαίνουσιν οἱ τεχνογράφοι τὴν διήγησιν.* Volkmann l. l. pag. 113.

[2]) Blass l. l. pag. 498.

eorum, inquit, quae Olympiodorus tertio loco obiecerat (Callistratum sibi semper adversatum esse §§ 40—43, 45a) inserta sunt ea, quae quartum reus opposuerat (§ 44 *οὗτος γάρ — κατεχρήσατο πρὸς τοὺς δικαστὰς ὅτι ἐγὼ τὴν οἰκίαν, ἣν ἔλαβον ἐν τῇ μερίδι τῇ ἐμαυτοῦ, μεμισθωμένος εἴην παρ᾽ αὐτοῦ, καὶ τὸ ἀργύριον, ὃ ἔλαβον, ὅτι ἐδανεισάμην παρ᾽ αὐτοῦ.* Haec refelluntur § 45 b *ἢ διὰ τί σύ, Ὀλυμπιόδωρε, οὐδεπώποτέ μοι ἔλαχες ἐνοικίου δίκην τῆς οἰκίας ἧς ἔφασκες μισθῶσαί μοι ὡς σαυτοῦ οὖσαν, οὐδὲ τοῦ ἀργυρίου, οὗ ἔλεγες ὅτι ἐδάνεισάς μοι;* Insunt in his verbis plures errores. Primum enim Olympiodorus omnino nihil quartum opposuerat. Nam verba *οὗτος γάρ — κατεχρήσατο κτλ.* omnino non ad eam litem, in qua oratio nostra habita est, pertinent, sed ad alteram litem hereditariam, id quod ex verbis quae praecedunt „*ἔτι πρὸς τούτοις ἡγεῖ ἄν μ᾽ ἐπιτρέπειν σοι, Ὀλυμπιόδωρε ἐν τῷ τελευταίῳ ἀγῶνι τῷ περὶ τοῦ κλήρου, ἢ ἃ ἔλεγες πρὸς τοὺς δικαστάς, εἰκῇ οὑτωσὶ λέγειν*“ luculentissime apparet. Haec ipsa verba eis quae sequuntur pluribus explicantur; quaenam Olympiodorus in posteriore lite hereditaria dixerit et apud iudices mentitus sit fusius exponitur, cf. *οὗτος γάρ, ὦ. ἄ. δ. τά τ᾽ ἄλλα ἔλεγεν ἃ ἐβούλετο ἐν τῷ δικαστηρίῳ, καὶ κατεχρήσατο πρὸς τοὺς δικαστάς κτλ.* Cum obiectionibus igitur Olympiodori, quae ad hanc, in qua or. XXXXVIII habita est litem spectant quaeque §§ 36—38 enarratae sunt, haec verba plane nullum conexum habent. Deinde Uhle perperam intellexit paragraphum 45; priore eius parte refelli dicit tertiam Olympiodori obiectionem, posteriore verba § 44 *οὗτος γάρ — κατεχρήσατο κτλ.* usque ad *παρ᾽ αὐτοῦ.* Sed quisquis nexum sententiarum recte perspexerit, tota § 45 nihil aliud contineri concedet nisi confirmationem eorum, quae Callistratus §§ 43—44 exposuit, sese in altera lite hereditaria cum Olympiodoro collusisse omniaque eius mendacia silentio concessisse. Quae confirmatio (*ἐπεὶ εἰ μή ἐστι ταῦτ᾽ ἀληθῆ κτλ.*) aptissime adnectitur ad extrema verba § 44 *κοινῇ γὰρ ἠγωνιζόμην μετὰ σοῦ, ὥσπερ ἔδοξεν ἐμοὶ καὶ σοί.*

Peroratio (*ἐπίλογος*) orationis XXXXVIII nihil est nisi iteratio alterius partis prooemii atque vi gravitate amplitudine

a plerisque epilogis orationum vere Demosthenicarum valde distat (cf. maxime epilogos orr. XXVII, XXVIII, XXXVI, XLV). Constat vulgo epilogus ex duabus potissimum partibus, ex recapitulatione et propria peroratione. Haec in Demosthenis orr. privatis interdum deest (cf. orr. XXIX, XXX, XXXI, XXXVII), illa fere nunquam.[1]) Nostra oratio perorationem habet, recapitulationem non habet.

Haec hactenus de dispositione. Transeamus nunc ad

B. Elocutionem

ex qua quantopere differat or. XXXVIII ab orationibus vere Demosthenicis etiam magis perspicuum fore spero quam ex dispositione.

Incipiamus autem a

Verbis verborumque structuris.

In universum scriptor orationis XXXVIII vituperandus est, quod aliquot locis elocutionibus utitur partim artificiosis et contortis, partim immoderatis, h. e. quibus nimia inest gravitas et vis. Artificiosae sunt hae elocutiones:[2]) § 2 *διαλλακτὴν οὐδένα φεύγων*, ibid. *μὰ τὸν Δία τὸν μέγιστον*, § 3 *δοκιμαστὰς γενομένους*, § 8 *μηδεμίαν ἀηδίαν εἶναι περαιτέρω*, § 15 *καὶ τὸ ἀργύριον τοῦθ' εἶχεν αὐτὸς δι' ἑαυτοῦ ὁ ἄνθρωπος*, § 19 *ἡγούμενος αὐτὸν — διοικήσειν καὶ ἐμοὶ καὶ ἑαυτῷ, ὅπως κτλ.*, § 24 *κατὰ τύχην τινὰ καὶ δαίμονα*, § 36 *ὑπονοίας — ἐπιφέρει*, § 44 *οὐδ' ἤκουσέ μου φωνὴν οὐδεὶς ἀνθρώπων — οὔτε μικρὸν οὔτε μεγάλην*, § 53 *ποιοῦσα τουτονὶ περαιτέρω μαίνεσθαι.*

Immoderatae sunt hae elocutiones:[3]) § 2 *ὡς οἷόν τε μάλιστα ἄκων* cl. 6 *ὡς οἷόν τε μάλιστα ὠργίσθην*, § 36 *προφάσεις ἀτόπους τινὰς καὶ ὑπονοίας καὶ αἰτίας ψευδεῖς*, § 39 *ὑπόνοιαι πλασταὶ — καὶ προφάσεις ἄδικοι καὶ πονηρίαι*, § 42 *ὑπεραβέλτεροι*, § 51 *ἀναισχυντότατος — ἀνθρώπων ἁπάντων*, § 51 *δικαίως οὐδ' ἂν ὁτιοῦν ἀποδέχοισθε τούτου ὡς ὑγιές τι λέγοντος*, § 52 *διέφθαρται — καὶ παραφρονεῖ* cl. 55 *καταφανῶς μαίνεται*

---

[1]) Cf. Sigg. annal. philol. VI suppl. pag. 415.
[2]) Cf. Blass. l. l. pag. 500.
[3]) Uhle pag. 51.

καὶ παραφρονεῖ, § 53 *ἡ λυμαινομένη ἅπαντας ἡμᾶς* ib. *περαιτέρω μαίνεσθαι*, § 56 *μελαγχολᾶν δοκῶν*, ibid. *παραφρονῶν ὡς οὐδεὶς πώποτε παρεφρόνησεν ἀνθρώπων*. Utrumque genus elocutionum non quadrat in tenuem ac tranquillam naturam orationum privatarum atque a Demosthene in orationibus privatis diligenter evitatum est.

Iamiam enumerabo ea verba verborumque structuras, quae mihi comparanti orationem XXXXVIII cum orationibus genuinis a Demosthenis usu dicendi recedere visa sunt.

§ 3 *ἐὰν δ' ἄρα μὴ ἐπιτυγχάνητε τούτου* cl. § 30 *ἐὰν μὲν Ὀλυμπιόδωρος οὑτοσί ἐπιτύχῃ τοῦ ἀγῶνος*.

Verbum *ἐπιτυγχάνειν* Demosthenes non usurpavit neque extat in corpore orationum Demosthenicarum nisi in or. [LIX] (adv. Neaer.). § 73 *ἃ δὲ μηδ' ἀκοῦσαι πᾶσιν οἷόν τ' ἐστί, πῶς ποιῆσαί γε τῇ ἐπιτυχούσῃ* (= *τυχούσῃ*) *εὐσεβῶς ἔχει* et in epist. suppositicia V § 3 *δόξης ἐπιτυγχάνων*. Alias hoc verbum non infrequens est; legitur Isae. III, 14 *μετὰ τῶν ἐπιτυχόντων* ibid. 25 *προς τοὺς ἐπιτυχόντας*, Lys. XIII, 71 *ἐπειδὴ δὲ ἐπετυχέτην αὐτῷ βαδίζοντι* ibid. XII, 12 *ἐξιοῦσι δ' ἐμοὶ καὶ Πείσωνι ἐπιτυγχάνει Μηλόβιος*,[1]) Aeschin. III, 165 *Λακεδαιμόνιοι μὲν καὶ τὸ ξενικὸν ἐπέτυχον μάχῃ*. Cum genetivo eadem significatione qua nostro loco Xenoph. Memor. 4, 2, 28 *ἐπιτυγχάνοντες ὧν πράττουσι*. Demosthenes loco *ἐπιτυγχάνειν* = assequi ponit simplex *τυγχάνειν* cf. XXVIII, 22 *δίκης — τυχεῖν*, LIV, 53, XVIII, 178 (*κατατυχεῖν*).

§ 3 *ἐκ τῶν ὑπολοίπων*. Insolens elocutio, quam G. H. Schaefer explicat: „Id quod unum adhuc vobis superest faciundum", Dareste „en ce cas". Nihil eiusdem generis apud Demosthenem inveni. Redit haec elocutio in or. [XXXXIII] (adv. Macart.) § 12 *ἡγούμενος ὦ ἄ. δ. ἐκ τῶν ὑπολοίπων τοῦτον εἶναι ἑαυτῷ οἰκειότατον*. Simile est Xenoph. Hell. III, 4, 9 *τάδε οὖν μοι ἐκ τοῦ λοιποῦ χάρισαι*.

§ 5 *συνεπιμελῆται μεθ' ἡμῶν*.

Verbum *συνεπιμελεῖσθαι* in corpore orationum Demosthenicarum alio loco nullo legitur. Extat identidem apud Xenoph.

[1]) Conferas notam Frohbergeri pag. 205.

Oecon IV,3 *καὶ φίλων καὶ πόλεως συνεπιμελεῖσθαι*, Anab. VI,1,22 *συνεπιμελεῖσθαι τῆς στρατιᾶς*, Memor. II,8,3, Cyrop. V,4,17.

§ 6 *λόγον μοι προσφέρει Ὀλυμπιόδωρος οὑτοσί.*

Activo *προσφέρειν* Demosthenes tribus tantum locis utitur atque eis alio sensu atque hic, ubi idem fere est quod „appellare“.[1]) Cf. V,12 *ὅταν ἐπὶ θάτερα ὥσπερ εἰς τρυτάνην ἀργύριον προσενέγκῃς* XXVII,9 cl. XXVIII,12 *οἳ δώδεκα μνᾶς ἀτελεῖς [ἑκάστου τοῦ ἐνιαυτοῦ] προσέφερον* (hic significat „einbringen, entrichten“). Alias est allegare aliquid, provocare ad aliquid, ut [XXXV],39 *οὐδὲ προσφέρειν οὔτε νόμον οὔτε ψήφισμα οὔτ᾽ ἄλλ᾽ οὐδὲν πρὸς τὴν συγγραφήν*, [LVIII],36 *καίτοι γε τὰς τοιαύτας ἀπολογίας οὐ δίκαιόν ἐστι προσφέρειν τοῖς κατὰ τοὺς νόμους ὀμωμοκόσι δικάσειν.* Appellandi notionem *λόγον προσφέρειν τινί* identidem exprimit apud Herod. III,134 *ἡ Ἄτοσσα προσέφερε ἐν τῇ κοίτῃ Δαρείῳ λόγον τοιόνδε*, cf. V,30, VIII,100.

§ 6 *ἡμῖν αὐτοῖς διαλεξόμεθα.*

Auctor or. XXXXVIII libentissime utitur pronomine reflexivo primae personae *ἡμῶν αὐτῶν* pro pronomine reciproco *ἀλλήλων*, cf. praeter hunc locum § 7 *διελεγόμεθα ἡμῖν αὐτοῖς* ibid. *ἡμεῖς πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς διηνέχθημεν*, § 9 *συνθήκας ἐγράψαμεν πρὸς ἡμᾶς αὐτούς* id. § 11, § 19, § 10 *μεθ᾽ ἡμῶν αὐτῶν βουλευόμενοι*, § 33 *ἡμῖν αὐτοῖς δικάσαντες*, octies igitur in duodesexaginta paragraphis. Demosthenes hoc rarissime facit; tres tantum locos investigare potui XVIII,16 *ὅτι τῆς ἡμετέρας ἔχθρας ἡμᾶς ἐφ᾽ ἡμῶν αὐτῶν δίκαιον ἦν τὸν ἐξετασμὸν ποιεῖσθαι*, XXIV,192 *δι᾽ ὧν χρώμεθα ἀλλήλοις καὶ συναλλάττομεν — καὶ ζῶμεν ὅλως τὰ πρὸς ἡμᾶς αὐτούς*, XXXIX,11 *ἃς* (sc. *βλασφημίας*) *πᾶσα ἀνάγκη συμβαίνειν, ὅταν ἀρχῆς ἤ τινος ἄλλου πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς ἀμφισβητοῦμεν*, atque ex his duo loci, XVIII,16, XXXIX,11 ita comparati sunt, ut pronomen reflexivum pro reciproco rei natura postuletur. Subest enim in illis locis contrarium pronominis reflexivi

---

[1]) **Reiske** Ind. s. h. v. falso interpretatur „condicionem proponere“. Hanc significationem *λόγον προσφέρειν* v. c. habet apud Thuc. II,70 *οὕτω δὴ λόγους προσφέρουσι περὶ ξυμβάσεως τοῖς στρατηγοῖς τῶν Ἀθηναίων*, ibid. III,109, cf. **Herod.** VIII,52.

„*ἄλλος*“ et ubicunque hoc contrarium aut expressum est aut mente suppleri potest, in locum pronominis reciproci substitui solet pronomen reflexivum. Cf. Kuehneri art. II pagg. 498 sqq. Ex octo locis or. XLVIII extremus tantum ita comparatus est § 33 *ἡμῖν αὐτοῖς δικάσαντες* „non alii, sed ipsi inter nos decidimus“.[1])

Frequentius Demosthenes pronomen reflexivum tertiae personae *ἑαυτῶν* in vicem reciproci *ἀλλήλων* reponit; sed in plerisque locis subest illud contrarium, de quo modo diximus; enotavi hos locos IX, 21 *στασιαστικῶς ἔχουσι πρὸς αὑτοὺς οἱ Ἕλληνες*, 50 *νοσοῦντας ἐν ἑαυτοῖς*, XIV, 36 *περὶ τῶν πρὸς ἑαυτοὺς διηνέχθησαν διαφόρων*, XVIII, 19 *πάντας — πρὸς αὑτοὺς ἐτάραττεν*,[2]) 61 *κακῶς τοὺς Ἕλληνας ἔχοντας πρὸς ἑαυτούς* [162 *πολλάκις ἀντιλέγοντας ἑαυτοῖς*],[3]) XX, 91 *ἐναντίοι σφίσιν αὐτοῖς εἰσι νόμοι*, 108 *ἡ — ἅμιλλα, ἣν — πρὸς ἑαυτοὺς ποιοῦνται*, XXIII, 8 *αὑτοῖς μὲν ἀντιπάλους εἶναι τούτους*, XXIV, 157 *οὗτοι σφίσιν αὐτοῖς βοηθοῦσιν*, XXXVII, 6 *τὰ μὲν δὴ πραχθέντα τούτοις πρὸς αὑτούς*, XXXIX, 23 *εἰώθασιν, ὧν ἂν ἑαυτοῖς διενεχθῶσιν ἀνὴρ καὶ γυνή, διὰ τοὺς παῖδας καταλλάττεσθαι ἢ δι᾽ ἂν ἀδικηθῶσιν ὑφ᾽ αὑτῶν τοὺς κοινοὺς παῖδας προσμισεῖν*, LVII, 60 *ἔπεισε διαψηφίσασθαι τοὺς Ἁλιμουσίους περὶ αὑτῶν*, Prooem. VI *ἑαυτῶν κατηγοροῦσι*, IX *ἐνίων ὑπεναντίων αὑταῖς*, XXXI *τὸ γὰρ στασιάζειν πρὸς αὑτούς*, ibid. *τὴν πρὸς αὑτοὺς φιλονεικίαν*. Adde Pseudo-Demosth. [X], 47, 52, [LVIII], 20, [LIX], 103, [XL], 29, [XLIII], 9. Denique in or. IV, 10 extat *αὑτῶν* = *ὑμῶν αὐτῶν* pro *ἀλλήλων*, cf. *ἢ βούλεσθε — περιιόντες αὑτῶν πυνθάνεσθαι*; Ex aliis scriptoribus satis multa exempla collegit Kuehner l. l.

§ 7 *τί ἂν ἐγὼ ταῦτα διηγούμενος ἢ ὑμῖν πράγματα παρέχοιμι ἢ ἐμαυτῷ ἐνοχλοίην;*

Verbum *ἐνοχλεῖν* Demosthenes non usurpat nisi de eo qui aliis negotia facessit, nusquam ut noster de eo, qui sibi ipsi

[1]) Fortasse etiam § 7 *ὅσα μὲν οὖν, ὦ. ἄ. δ., ἡμεῖς πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς διηνέχθημεν*. *Ἀλλήλων* extat sex locis §§ 9, 10, 11, 12, 30, 51.

[2]) Rehdantz ind. II s. v. Pronomen confert XXIII, 103 *ἡ γὰρ ἐκείνων πρὸς ἀλλήλους ταραχή*.

[3]) *ἑαυτοῖς* addidit Bekk. omisit Σ.

negotia facessit. Conferas, quaeso, hos locos: III, 5, VIII, 42, XIV, 41, XVIII, 4, XIX, 1, 181, 206, XXI, 4, 15, 139, 189, XXII, 21, XXIII, 4, XXIV, 189, prooem. XXIX, XXXVI, XXXVII, XLVIII, LV. Idem valet de Pseudo-Demosthene cf. [X], 14, [XII], 10, 11, [XVII], 1, [XXV], 95, [XXVI], 15, [XXXV], 30, [XLIV], 16, 45, [LVIII], 57, 68.[1])

Ast id quod praecedit *πράγματα παρέχειν* et de eo dicitur, qui aliis, et de eo, qui sibi ipsi negotia facessit:

de illo: Dem. VIII, 60, XXI, 17, 117, 123 (*ἀντιπαρέχειν πρ.*), XL, 10, 12, Pseudo-Dem. [X], 62, [XLVII], 28;

de hoc: Dem. XXXIX, 34 *παῦσαι μὲν σαυτῷ παρέχων πράγματα*, Pseudo-Dem. [XLIII], 20 *τί ἂν ἐγὼ ὑμῖν, ὦ. ἄ. δ. πράγματα παρέχοιμι ἢ ἐμαυτῷ;*

Quae cum ita sint Sauppe loco nostro ita scribendum censet: *τί ἂν ἐγὼ ὑμῖν ἐνοχλοίην ἢ ἐμαυτῷ πράγματα παρέχοιμι*; quae ratio audacior est quam ut probare possim. Videtur etiam obstare locus simillimus Macartateae [XLIII], 20, quam post Schaeferum et Blassium nuperrime Uhle „quaestiones cet.“, demonstravit eidem auctori assignandam esse cui or. XXXXVIII cf. *τί ἂν ἐγὼ ὑμῖν, ὦ. ἄ. δ. πράγματα παρέχοιμι ἢ ἐμαυτῷ;* Exciditne hic fortasse optativus *ἐνοχλοίην*? Quod mihi paene probabilius videtur quam Sauppii inversio.

§ 8 *τοῦθ᾽ ὑμᾶς ἀναγκαίως ἔχει ἀκοῦσαι.*

Ἀναγκαίως ἔχειν Demosthenes nusquam dicit neque extat in corpore orationum Demosthenicarum nisi or. [XLIV], 57 *πρῶτον μὲν γὰρ οὐκ ἀναγκαίως ἔχουσιν* (sc. *αἱ διαμαρτυρίαι*) *ὥσπερ οἱ ἄλλοι.* Liceat mihi hoc loco proferre synonyma elocutionis *ἀναγκαίως ἔχει* a radice *ἀναγκ* derivata,[2]) quae in corpore orationum Demosthenicarum obviam sunt:

1. *ἀνάγκη* cum sequenti aut supplendo infinitivo: Dem. I, 27, III, 32, IV, 23, VIII, 35, IX, 6,[3]) 63, XIV, 34, XVIII, 34.

[1]) Singulas structuras verbi *ἐνοχλεῖν*, *ἐνοχλεῖσθαι* sim., quae in corpore orr. Demosth. occurrunt, collectas invenies in Uhlei recentissimo programmate, de prooemiorum collectionis quae Demosthenis nomine fertur origine. Chemnitz. 1885, pag. 13 (pro [in Olymp.] 18 lege 19).

[2]) Excepto verbo *ἀναγκάζειν*, *ἀναγκάζεσθαι*.

[3]) §§ 6 et 7 desunt in Σ, addidit recens manus in margine.

125, 139, 205, 278, XIX, 69, 102, 201, 294, 337, XX, 3, 106, 113, XXIV, 15, 19, 92, 98, 122, XXX, 13, XXXIX, 11 (*πᾶσα ἀνάγκη* cum infinitivo, idem absolute positum XX, 26), XLV, 16 (bis), 50, LIV, 17, prooem. XXV, XXXVIII, XLIX, LI, epist. I, 14; Pseudo-Dem. [X], 58 (bis), 63, [XIII], 25, [XXV], 72, 88, [XLIV], 4, 51, 56 (*πολλή γ' ἀνάγκη* absolute), [XLVI], 19, [LX], 13, 21, 37, [LXI], 23.

2. *ἀνάγκη ἐστὶ* cum sequenti aut supplendo infinitivo Dem. IV, 10 (*ἐπειδὰν νὴ Δί' ἀνάγκη ᾖ* sc. *πράττειν* Σ, *ἀνάγκη τις* Bekk.), V, 4 (*ἀνάγκην οὖσαν* sc. *λέγειν*), XXI, 74, XXII, 22, XXIII, 8, XXIV, 83, XXVIII, 9 (*ἀνάγκη μεγάλη — ἔχειν ἐστί*), XXXVI, 1, 46 (*ἀνάγκην εἶναι λέγειν*), XXXIX, 4, LVII, 15, XIX, 317. Pseudo-Dem. [XXXIV], 26 (*οὐδεμιᾶς σοι ἀνάγκης οὔσης* sc. *ἀποτίνειν*), [XLIII], 1, [XXXXVII], 25 (*πολλή μοι ἀνάγκη ἦν παραλαβεῖν*), [**XLVIII**], **21, 27**, [LII], 1, 28.

3. *ἀναγκαῖόν ἐστι* cum sequenti aut supplendo infinitivo Dem. VIII, 29, 50 (*ὅταν νὴ Δί' ἀναγκαῖον ᾖ* sc. *ποιεῖν* Σ, *ἀνάγκη τις* Bekk.), XVIII, 9 (*ἀναγκαῖον εἶναι νομίζω — εἰπεῖν*), 17, 50, 69, XIX, 318, XXXIX, 1, XL, 13, prooem. XIX, epist. III, 3. Pseudo-Dem. [X], 27 (*ὅταν νὴ Δί' ἀναγκαῖον ᾖ* Σ, *ἀνάγκη τις* Bekk.), [XII], 1, [XIII], 7 (absolute), [XVII], 8, [XXV], 13, [XXVI], 2, 21, [XXXIV], 5, [XLII], 3, [XLIV], 2, 16, [XLVII], 7, 56, [**XLVIII**], **1, 4**, [L], 2, 22, [LVI], 9, [LVIII], 38, [LXI], 18.

4. *ἀναγκαῖον* cum sequenti aut supplendo infinitivo Dem. XXIV, 132 (*ἐστι* suppleri potest ex praecedentibus), LIV, 40 (*εἰ δ' ἀναγκαῖον*), LV, 10, LVII, 5.[1] Pseudo-Dem. [XLIV], 6, 31, [XLIX], 40, [L], 38 (*ἃ δίκαια μὲν οὐκ ἦν — ἀναγκαῖα δ' ἐμοί — εἰπεῖν*).

5. *ἐξ ἀνάγκης ἐστὶ* cum infinitivo: Dem. XIX, 65. Pseudo-Dem. [XLIII], 8, 21 (bis), 47, [XLVII], 23, [**XLVIII**], **26**, [LII], 5. His formulis frequentioribus adde rariores: *προάγεσθαι εἰς ἀνάγκην πρός* V, 14, *ἀνάγκη γίγνεται* cum infinitivo IX, 75, *ἀνάγκη περιίσταται* cum infinitivo XIX, 212, *εἰς ἀνάγκην ἥκειν* XIX, 341, *εἰς ἀνάγκην ἄγειν* XX, 121, *ἀνάγκας ἔχειν*

[1]) Cf. III, 4 *ἀναγκαῖον δὲ ὑπολαμβάνω μικρὰ τῶν γεγενημένων — ὑπομνῆσαι.*

XXX, 14. *εἰς ἀνάγκην ἔρχεσθαι* cum infinitivo I, 15. XXXVII, 26. *ἐξ ἀνάγκης* adverbialiter usurpatum: Dem. VI, 17. XXX, 24, 28. XXXVIII, 6. LIV, 39. LVII, 2, 26. Pseudo-Dem. [X], 12. [XLIII], 53 (*ἐξ ἀνάγκης δεῖ ποιεῖν*, cf. XLV, 67 *ἡ τῆς ἀνάγκης χρεία*. [L], 13 *τὴν παροῦσαν χρείαν ὡς ἀναγκαία ἦν*). LVI, 24, 42. LVIII, 60, 64. *ἀναγκαίως* adverbialiter: XIV, 19, XXXIX, 6. *ἀνάγκῃ* III, 34, *ἐπάναγκες* XXIV, 55, 84, 89, [XXXIII], 15, [XLIII], 53 *ἃ δεῖ ποιεῖν τοὺς προσήκοντας ἐπάναγκες* (deletum a Dindorfio), 54 (idem in lege), [XXXIV], 7.[1])

Vides ex hac tabula scriptorem orationis XLVIII eas elocutiones praeferre, quas Demosthenes vitat et rursum eas spernere, quas ille in deliciis habet. Namque *ἀναγκαίως ἔχει* (§ 8) ut iam dictum est, apud Demosthenem nusquam, *ἐξ ἀνάγκης ἐστὶ* cum infinitivo (§ 26) uno tantum loco extat (XIX, 65); *ἀνάγκη* autem cum infinitivo, quo Demosthenes omnium frequentissime utitur, in or. XLVIII nullo loco obviam est.

§ 8 *αὐτὸς γὰρ ἐδίκασα τούτῳ καὶ οὗτος ἐμοί*, cl. 23 *ἡμῖν αὐτοῖς δικάσαντες*.

Singularem significationem his duobus locis habet verbum *δικάζειν*. Reiske indd. graecit. Demosth. s. h. v. illo loco explicat: „inter nos in haec capita convenit, ita decidimus inter nos atque transegimus, sine interventu iudicii“ hoc loco: „re privatim inter nos a nobismet amice composita.“ Hanc transigendi vel decidendi notionem verbum *δικάζειν* apud Demosthenem non habet; eis, quos enotavi locis *δικάζειν* semper t. t. iudicialis est. Sunt autem hi loci: III, 35, XIX, 4, 132, 284, XVIII, 6, 7. XX, 118, XXI, 42, 75, 177, 182, 211, 223, XXII, 10, 43. XXIII, 24, 26, 30, 66 (bis), 69, 78 (bis), 96 (bis), 98, 101, 215, XXIV, 7, 90, 99, 123, 188. XXVII, 68. XXIX, 1, 6, 44, XXX, 32. XXXVI, 26, XXXVII, 3, XXXVIII, 27, XXXIX, 40, XL, 16, XLV, 7, 50, 87.

Uno tantum loco, in oratione tutelari XXIX, 53 *δικάζειν* simili neque vero plane eadem significatione qua nostro loco usurpatur de eo, qui ipse sibi ius dicit vel legem fert (cf. Reisk. l. l.) *καίτοι ὅστις αὐτὸς αὑτῷ ταῦτ᾽ ἔφυγε*

[1]) De voce *ἐπάναγκες* cf. Schulze. l. l. pag. 56.

δικάσαι,[1]) quocum conferendum est Pseudo-Dem. [XLIII], 5 *αὐτὸς ἑαυτῷ ἐδίκασεν*, [LIX], 125 *Οὐκοῦν ἤδη δοκεῖ ὑμῖν δεδικάσθαι ὑπ' αὐτοῦ Στεφάνου τουτουί;*

In suppositiciis orationibus *δικάζειν* exceptis locis laudatis semper eodem sensu legitur quo apud Demosthenem. Cf. [XXV], 4, 11 (bis), 24, 27, 76, [XXXV], 43, 46, [XLIII], 11, [XLVI], 27, [XLVII], 46, 79, [LI], 9, [LII], 2, [LVI], 28, 48, [LVIII], 25 (bis). 36, [LIX], 8, 110, 115, 126.

§ 8 *μηδεμίαν ἀηδίαν εἶναι περαιτέρω*, cl. § 54 *ποιοῦσα τουτονὶ περαιτέρω μαίνεσθαι*, § 55 *περαιτέρω τοῦ καλῶς ἔχοντος*.

Demosthenes adverbium *περαιτέρω* neque absolute neque cum genetivo iunctum usurpat. Hic illic exhibet synonymum *ποῤῥωτέρω* XXIII, 203, *ποῤῥωτέρω βαδίζει*[2]) III, 5. Pro *περαιτέρω τοῦ καλῶς ἔχοντος* dicit *ὑπὲρ τὴν ἀξίαν* II, 3, *πέρα τοῦ συμφέροντος* V, 19, *πέρα τοῦ μετρίου* IX, 24, XIV, 35. Similia sunt *πέρα τοῦ καιροῦ* XVI, 23, *πέρα ὅρου* XXIII, 44 (in lege), 46, *πέρα τούτων (τούτου)* XXIII, 46, 69, *πέρα δεινοῦ* XLV, 73; ubique igitur positivus *πέρα*, non comparativus *περαιτέρω*. In orationibus suppositiciis neque *πέρα* neque *περαιτέρω* inveni, semel extat *πέρας δ' οὖν* = denique [LVI], 10. *Περαιτέρω* invenies apud Aesch. II, 149 *περαιτέρω τῆς ἀκοῆς*. Isae. VIII, 34 *τῶν ἔτι περαιτέρω κληρονομεῖτε*, Xenoph. Mem. III, 13, 5 *περαιτέρω τοῦ μετρίου*, saepius apud Platonem Phaedr. 239 D, Gorgias 484 C al. et saepissime apud poetas saenicos Aesch. Prom. 247, Soph. Trach. 663. 948. Eurip. Phoen. 1681. Iph. T. 247, Aristoph. av. 1500.

§ 8 *ἀκοῦσαί τι ἀνεπιτήδειον*.

Adiectivum *ἀνεπιτήδειον* in corpore orationum Demosthenicarum *ἅπαξ λεγόμενον* est; significat partim „inutilis, non idoneus", partim, ut hoc loco, „infestus infensus". Demosthenes id paene vitare videtur, substituit in eius locum *οὐκ ἐπιτήδειος*, v. c. *νόμος οὐκ ἐπιτήδειος* XX, 88, XXI, 138, 212, *ἃ τοῦ νόμου*

[1]) Cf. or. XXX, 2 *τοῦτον δ' αὐτὸν αὑτῷ κελεύων γενέσθαι δικαστήν* XXIII, 66.

[2]) Cf. Weberum ad Aristocrateam pag. 516.

διώκομεν ὡς οὐκ ἐπιτήδεια XX, 95, ἐπειδὴ δ' εὗρεν οὐκ ἐπιτήδειον sc. τὸ πρᾶγμα XXI, 46. Utitur illo adiectivo Lysias VIII, 1 εἰ τοῖς ἀνεπιτηδείοις ἀνεπιτήδειοι δόξουσιν εἶναι, XXXI, 2 εἴ τίς τινα οἶδε τῶν λαχόντων ἀνεπιτήδειον ὄντα βουλεύειν, Isocr. XV, 4 τοῖς ἀνεπιτήδειόν τι λέγουσι, Andoc. II, 28 γνῶναί τι ἀνεπιτήδειον, Xenoph. Hellen. I, 6, 4.

§ 10 *ὑπενοοῦμεν γὰρ — ἥξειν.*

Verbum ὑπονοεῖν Demosthenis auctoritate firmari non potest; legitur semel apud Pseudo-Dem. [XLVI], 1 καὶ αὐτὸς σχεδόν τι ὑπενόουν. Quamquam alias non inusitatum est cf. Andoc. I, 9 μήτε ὑπονοεῖν τὰ λεγόμενα, 139 εἴπερ οὖν δεῖ τὰ τῶν θεῶν ὑπονοεῖν, III, 35 ὑπονοεῖν εἰώθατε καὶ δυσχεραίνειν, Antipho. VI, 18 ὑπονοεῖν τὰ λεγόμενα, Isae. III, 16 ἐξ ὧν ἄν τις ὑπονοήσειεν, Thucyd. VI. 83, I, 68, Xenoph. Cyrop. III, 3, 20. — Item substantivum ὑπόνοια quod scriptor or. XLVIII ter exhibet (§ 36 ἀτόπους τινὰς ὑπονοίας, § 39 ὑπόνοιαι πλασταί ibid. ὑπόνοια μὲν οὐδεμία ἔσται) apud Demosthenem uno tantum loco legitur, XXIII, 194 Ἴσως τοίνυν καὶ τοιαύτην τιν' ἐροῦσιν ὑπόνοιαν.[1])

§ 13 *καὶ οὗτος εἵλετο τοὺς φαρμακοτρίβας καὶ τὴν οἰκίαν· ἐγὼ δ' ἔλαβον τοὺς σακχυφάντας καὶ τὴν οἰκίαν τὴν ἑτέραν.*

Ad hunc locum haud dubie respicit Pollux IX, 39 καὶ περιοίκιον δέ τι μικρὸν καὶ οἰκίδιον καὶ οἰκίσκην Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Ὀλυμπιοδώρου λέγει· καὶ οὗτος εἵλετο τοὺς φαρμακοτρίβας καὶ τὴν οἰκίσκην κτλ. Ex his verbis apparet Pollucem pro οἰκίαν, quod nunc libri exhibent, legisse οἰκίσκην; in hac voce a Demosthenis genere dicendi aliena A. Schaefer l. l. pag. 241 non iniuria agnoscere sibi videtur scripturam genuinam, in vocem Demosthenicam οἰκίαν postea mutatam. Simillimum talis mutationis exemplum A. Schaefer profert ex oratione adversus Euerg. [XLVII], ex qua Harpocration citat formam non Demosthenicam ἐκαλίστρουν, quam libri iam non exhibent.[2])

[1]) Hic ὑπόνοια est opinio „Einbildung", cf. Weberum ad Aristocr. p. 499, in or. XLVIII idem fere quod πρόφασις caussatio; vid. G. H. Schaeferum pag. 1178, 1.

[2]) Restituta est ab editoribus recentioribus § 60.

§ 19 *τὰς συνθήκας τὰς πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς περὶ τοῦ ἰσομοιρεῖν ἁπάντων ὧν Κόνων ἦν καταλελοιπώς*, cl. § 32 *συνθήκας πρός με ποιησάμενος ἦ μὴν ἰσομοιρήσειν*, § 38 *ὁμωμοκὼς ἰσομοιρήσειν.*

Verbum *ἰσομοιρεῖν* apud Demosthenem non obviam venit. Is notionem huius verbi alio modo solet exprimere cf. or. XXIII, 86. cl. XXIV, 59 *ὥσπερ γὰρ τῆς ἄλλης πολιτείας ἴσον μέτεστιν ἑκάστῳ, οὕτως ᾤετο δεῖν καὶ τῶν νόμων ἴσον μετέχειν πάντας ὁ θεὶς αὐτόν*, quocum compares Thucyd. VI, 39 *καὶ ταῦτα ὁμοίως καὶ κατὰ τὰ μέρη καὶ ξύμπαντα ἐν δημοκρατίᾳ ἰσομοιρεῖν.* Adde Dem. XXXVI, 8 *ἀντιμοιρεὶ τὰ λοιπὰ νέμειν.* *Ἰσομοιρεῖν* identidem occurrit apud Isaeum cf. I, 2 *ἀξιοῦσιν ἡμᾶς καὶ τῶν ὁμολογουμένων, ὧν Κλεώνυμος κατέλιπεν αὐτοῖς τούτων ἰσομοιρῆσαι* ibid. 35 *ἐθέλοντες ἡμῖν ἰσομοιρῆσαι τῆς οὐσίας*, VII, 19 *ἰσομοίρους τῶν χρημάτων καθίστησι.* 22 *ἰσόμοιροι κατὰ τὸν νόμον εἰσί*, at ibid. 20 *τὸ ἴσον αὐτοῖς ὁ νόμος μετασχεῖν δίδωσιν.* Isocr. IV, 17 *τὼ πόλη τούτω πείσουσιν ἰσομοιρῆσαι πρὸς ἀλλήλας*, ibid. V, 39.

§ 20 *ἐπειδὴ δ' ἐνδιέτριβε* —

Verbum *ἐνδιατρίβειν* non ex usu Demosthenis esse iam Schulze l. l. pag. 54 recte monuit ad or. [XXXIII], 5, ubi idem verbum extat, sed paulo diversa significatione; ibi enim significat „commorari“, nostro loco „rem ducere. tergiversari“. Illam notionem Demosthenes exprimit per *διατρίβειν* (cf. locos a Schulzio allatos), hanc circumscribere solet per *κατατρίβειν* addito accusativo temporis cf. XIX, 178 *τοὺς χρόνους κατατρίψαντα*, 333 *τοῦ μετὰ ταῦτα ἐπὶ τῆς ὑστέρας πρεσβείας τοὺς χρόνους κατατρῖψαι*, LVII, 9 *κατέτριψε τὴν ἡμέραν δημηγορῶν καὶ ψηφίσματα γράφων.* Simili sensu *διατρίβειν τὸν χρόνον* legitur XIX, 165 *τὸ ὡς πλεῖστον τὸν μεταξὺ χρόνον διατριφθῆναι τοῦ τοὺς ὅρκους ἀπολαβεῖν.* Alias reperitur *διατριβὰς ἐμποιῶν* [XLVII], 63, [*διατριβαὶ — ἐγίγνοντο* [L], 46], *ἀναβολὰς ἐποιεῖτο* in or. XLVIII, duobus versibus post *ἐνδιέτριβε.* Hoc redit apud Aeschinem III, 201 *ἔπειτ' ἐνδιατρίβῃ καὶ μὴ ἀπολογῆται* Aristoph. ran. 714.

§ 23 *διὰ τὸ ἐξαίφνης ἐπιπεπτωκέναι ἡμῖν πολλοὺς τοὺς ἀμφισβητοῦντας.*

Verbum *ἐπιπίπτειν τινί* = invadere, opprimere aliquem, alias frequentissimum, a Demosthene non videtur usurpatum esse. Is utitur compositis *προςπίπτειν* (XVIII, 151), *εἰςπίπτειν* (XVIII, 153), *μεταπίπτειν* (XX, 49), *ἐκπίπτειν* (XXI, 144, XXII, 1 *περιπίπτειν* (XXI, 96, 100), *ἐμπίπτειν* (XXI, 129, XXIII, 76), *ἀναπίπτειν* (XXI, 163), *παραπίπτειν* (I, 8), *ὑποπίπτειν* (XLV, 63, 65), nusquam *ἐπιπίπτειν*, in cuius locum substituit *προςπίπτειν*, cf. locum nostri simillimum or. LVII, 12 *διά τε τὴν ὥραν καὶ τὸ μηδένα μοι παρεῖναι τό τε πρᾶγμα ἄφνω προςπεπτωκέναι.* *Ἐπιπίπτειν* v. c. exhibet Xenoph. Cyrup. VII, 43 *ἐπιπεσὼν ἀπαρασκεύοις τοῖς ἐναντίοις* ibid. VII, 1, 9. Thucyd. III, 112 *ἐπέπεσε τῷ στρατεύματι αὐτῶν*; alio sensu ac structura *ἐπιπίπτειν* legitur apud Isocr. V, 89 *τῶν μὲν ἄλλων εἴ τισι δόξειε — συμβουλεύειν, ἐπὶ ταύτην ἂν ἐπιπεσεῖν τὴν παράκλησιν* (= incidere in).

§ 28 *καὶ τῆς κοινωνίας τῆς πρὸς τοῦτον ταῦτ᾽ ἐγὼ ἀπέλαυσα.*

Ἀπολαύειν Demosthenes non simul cum genetivo et accusativo iungit, sed aut

cum genetivo XXI, 203 *τῆς σιωπῆς ἀπολαύων*, XXIII, 180 *ὁ δὲ ταύτης τῆς ἐξουσίας ἀπολαύσας*, XXIV, 52 *οὐκ ᾤετο δεῖν τῆς εὐηθείας τῆς ὑμετέρας ἀπολαύειν.* Adde Pseudo-Dem. [XIII], 19, [XVII], 23, [XXVI], 2, [LXI], 55;

aut cum accusativo neutrius XXIII, 210 *ὑμεῖς δ᾽ οὐδ᾽ ὁτιοῦν ἀπολαύετε.* Semel absolute positum est XXXVI, 47 *καὶ ἃ διὰ τῆς τούτων φιλανθρωπίας ἀπολαύσας εὕρετο ὁ σὸς πατήρ* (Neutrum *ἅ* pendet ex verbo finito *εὕρετο*). Cum loco nostro conferendus est Isae. II, 7 *τῆς χρηστότητος τῆς ἑαυτῆς τοῦτο ἀπολαῦσαι.* Thucyd. II, 53 *τοῦ βίου τι ἀπολαῦσαι.* Xenoph. Cyrup. V, 4, 19.

§ 33 *πρώτιστον μὲν τὸ ἐξ ἀρχῆς.*

Superlativum *πρώτιστον* iam A. Schaefer l. l. pag. 241 a Demosthene iure suo abiudicavit; non extat in corpore orationum Demosthenicarum nisi [XLIII], 75. Auctore Lobeckio ad Phrynichum pag. 419 invaluit hic superlativus apud Atticos scaenae

poetas et in dialecto vulgari (cf. locos a Lobeckio laudatos), perrarus autem erat apud oratores Atticos. Quapropter Bekker hoc loco corrigi voluit „πρῶτον“, sed Σ exhibet „πρώτιστον“.

§ 42 *ὥστε ὑπεραβέλτεροί εἰσι αἱ αἰτίαι* —.

Adiectivo *ὑπεραβέλτερος* Demosthenes, quantum scio non usus est, cum in deliciis habeat substantivum *ἀβελτερία* et simplex *ἀβέλτερος*;[1]) cf. or. XIX, 98 *ὑπ' ἀβελτερίας*, 100 *διὰ τὴν ἀβελτερίαν τὴν ἐμήν*, 119 *οὐ δι' ἀβελτερίαν οὐδὲ δι' ἄγνοιαν*, 265 *δι' ἀβελτερίαν*, IX, 14 *καὶ γὰρ ἂν ἀβελτερώτατος εἴη ἀνθρώπων ἁπάντων*, XIX, 338 *μηδὲν ὑμεῖς ἀβέλτερον πάθητε*, prooem. XLII *ἀβελτέρους νομίζετε*; adde Pseudo-Dem. [X], 33 *τὴν ἀβελτερίαν ἀποθέσθαι*, [XXXIV], 41 *οὕτως ὄντ' ἀβέλτερον*, [LXI], 14 *ἀβελτέρων εἶναι δοκούντων*. I. Windel in d. q. i. De oratione quae est inter Demosthenicas XVII et inscribitur *Περὶ τῶν πρὸς Ἀλέξανδρον συνθηκῶν*, Lips. 1882. pag. 6 ad adiectivum *ὑπεράισχρος*, quod legitur [XVII], 7, recte adnotat, „gradationem, quae fiat praepositione *ὑπέρ* praefixa, verbi iam per se gravissimi, abhorrere a simplici Demosthenis usu dicendi.“ Quod magis etiam valet de orationibus privatis quam de orationibus publicis; nam cum in his adiectiva et adverbia praefixo *ὑπέρ* formata hic illic legantur, in illis talia uno loco excepto prorsus desunt. In orationibus publicis haec exempla inveni: *ὑπέρογκος* IV, 23, *ὑπερφυής* XIX, 71, 225, 267, XXI, 88, XXIII, 188, *ὑπερήφανος* IV, 9, XVIII, 252 (*ὑπερηφάνως*), *ὑπέρλαμπρος* XVIII, 259 (*ὀλολύζειν δ' οὐχ ὑπέρλαμπρον*), *ὑπεργέλοιος* XIX, 211 (*καὶ τὸ πρᾶγμ' ἦν ὑπεργέλοιον*), *ὑπερμεγέθης* XVIII, 316 (*εὐεργεσίας*) XXIII, 190, *ὑπέρδεινος* XX, 47, XXI, 111, *ὑπέρευ* XVIII, 10 (*ὑπέρευ πεπολίτευμαι*).[2])

In orationibus privatis semel extat *ὑπερφυές*, atque id in oratione tutelari XXIX § 14. In orationibus suppositiciis composita *ὑπέρ* praefixo formata non raro occurrunt, cf. praeter

[1]) Cf. Rehdantz. Ind. II s. v. Thorheit et infra pag. 63 not. 1. Apud Rehdantz. pro 19. 102, lege 19. 98, pro 19. 104, lege 19. 100, pro 42. 47, lege 48. 42.

[2]) Non huc referenda sunt *ὑπερήμερος ὑπέρχρεως* sim. cf. *ὑπερεκπεπληγμένος* II, 5.

locos laudatos [XIII], 30 *οἰκίας — ὑπερηφανωτέρας*, [XLIII], 29 *ὑπερμέγεθες ψεῦδος*, 65 *ὑπεραναίσχυντον δὴ οὗτοι κατασκευάζουσι πρᾶγμα*, 69 *ἔλαιον ὑπέρπολυ ἐγίγνετο* ibid. *ἀργύριον ὑπέρπολυ*, [XVII], 26 *τὸ δὲ ὑβριστικώτατον καὶ ὑπεροπτικώτατον*, [XXVI], 7 *ὑπερπλήθη δ' ἐξημαρτηκότα*, [LXI], 45 *τὰ μὲν ὑπερηφάνως, τὰ δὲ ταπεινῶς, τὰ δ' ὑπεράκρως ζῆν προῃρημένον*.

§ 43 *εἰκῇ οὑτωσὶ λέγειν.*

Adverbium *εἰκῇ* iam Schulze l. l. pag. 49 observavit non inveniri nisi in Demosthenis orationibus tutelaribus, quas admodum adulescens composuit. Quae cum ita sint non fecerim cum Weilio, qui or. XX, 91 *εἰκῇ* in textum inserit, *τοῖς μὲν ὑπάρχουσι νόμοις ἐχρῶντο, καινοὺς* sc. *νόμους δ' οὐκ ἐτίθεσαν* <*εἰκῇ*>. In deliciis hoc adverbium est Isocrati, cf. locos a Schulzio allatos.

§ 44 *καὶ κατεχρήσατο πρὸς τοὺς δικαστάς, ὅτι —.*

Neque structura neque significatio verbi *καταχρῆσθαι*, quam hic locus exhibet, Demosthenis auctoritate firmari potest. *Κατεχρήσατο* hoc loco absolute positum sibi vult „mentitus est, falso dixit". Apud Demosthenem *καταχρῆσθαι* semper cum dativo iungitur et partim notionem utendi (quam simplex *χρῆσθαι*) partim notionem abutendi exprimit; legitur his locis:

a. *τινί* XVIII, 150 *κενῇ προφάσει ταύτῃ κατεχρῶ καὶ ψευδεῖ*,
b. *τινί εἴς τι* XIX, 277 *εἰς τὸ μείζω δύνασθαι κακουργεῖν καταχρῆσθαι* sc. *τῷ πιστευθῆναι* (hic magis est abuti), prooem. L *ὅπως εἰς δέον καταχρήσεσθε αὐτῇ*,
c. *τινί ὑπέρ τινος* XXIII, 128 *ὑπὲρ οὗ καταχρήσεται τῇ διὰ τοῦ ψηφίσματος πλεονεξίᾳ*.

Semel extat *προκαταχρῆσθαι* XIX, 154 *ἐπειδὴ γὰρ ἐκκλησία μὲν οὐκέτι ὑπόλοιπος ἦν διὰ τὸ προκατακεχρῆσθαι*, quod Reiske Indd. s. h. v. explicat: „propterea, quod concionibus antea nimis multis incassum habitis, salutare nihil neque decretum neque effectum esset."

Longe frequentius *καταχρῆσθαι* occurrit in orationibus suppositiciis: prorsus eadem sententia ac structura qua nostro loco semel or. [XLIII], 38 *ἔμελεν αὐτοῖς οὐδὲν πλὴν τοῦ ἐξαπατῆσαι — τοὺς δικαστάς, οἵτινες κατεχρῶντο, ὡς —*, eadem sen-

tentia, sed addito dativo *τῷ λόγῳ* [XLVII], 9 *ἃ δή, λόγῳ τότε καταχρώμενος καὶ μάρτυρας παρεχόμενος τούτων, ἠπάτα τοὺς δικαστάς*, [XLIX], 39 *ἐὰν δὲ καταχρῆται τῷ λόγῳ, ἀξιοῦτε* — 45 *λόγῳ δὲ καταχρῆται, ἵνα μὴ αὐτὸς δοκῇ ἀποστερεῖν*, [XVII], 1 *δεῖ τοίνυν τοὺς λίαν ἐπ᾽ αὐτὰ παρακαλοῦντας μὴ τῷ μὲν λόγῳ καταχρωμένους ἐνοχλεῖν*. Aliis locis *καταχρῆσθαι*, sicut apud Demosthenem, notionem utendi sive abutendi exprimit, ut [XXXV], 44 *τοὺς αὐτοὺς λόγους λέγειν, οἷσπερ νυνὶ κατακέχρηται* („susque deque iactat — cum fastidio et odio ingerit" Reisk. l. l.)[1]), [XLVII], 40 *οἷς δὲ τότε κατεχρῶντο λόγοις, νῦν αὐτοῖς ἐξελέγχονται ὑπεναντία ποιοῦντες*, ibid. 30 *ἔμελλε — τούτοις τοῖς τεκμηρίοις καταχρήσεσθαι, ὡς* —, [XLIX], 57 *τεκμηρίῳ τούτῳ καταχρήσασθαι, ὅτι* —, ibid. 63 *ὥστ᾽ ἂν ταύτῃ ἀπολογίᾳ χρῆται, ὅτι* —. Cum dativo et praepositione *εἰς* iunctum est [XLIX], 36 *καταχρήσασθαι δὲ τοῦτον ἥκοντ᾽ εἰς τὴν οἰκοδομίαν τὴν αὑτοῦ τοῖς ξύλοις τούτοις* (= impendere aliquid in aliquid) id. 54 *τὴν δὲ χρείαν, εἰς ἣν κατεχρήσατο τῷ ἀργυρίῳ*, denique cum accusativo et praepositione *εἰς* [XLIX], 4 *εἰς ὅ τι ἕκαστον αὐτῶν* (sc. *τῶν ὀφειλομένων*) *κατεχρήσατο* id. 44 *καὶ εἰς ὅ τι ἔλαβε τὸ ἀργύριον, καὶ εἰς ἃ κατεχρήσατο*.

§ 46 *πρίν — διαπειραθῆναι τῶν δικαστῶν, ὅ τι γνώσονται.*

Verbum *διαπειρᾶσθαι* in Demosthenis orationibus frustra quaesivi; is in locum eius reponit aut simplex *πειρᾶσθαι*, cf. XVIII, 89, 231, 253 al. aut circuitione utitur, imprimis *πεῖραν λαβεῖν*, cf. XXIII, 131 *καὶ λαβὼν ἔργῳ τῆς ἐκείνου φιλίας πεῖραν*, XXX, 2 *τὸν μὲν γὰρ οἰόμενος δεῖν ἐν τοῖς φίλοις διαδικάσασθαι τὰ πρὸς ἐμὲ καὶ μὴ λαβεῖν ὑμῶν πεῖραν οὐχ οἷός τ᾽ ἐγενόμην πεῖσαι*. Adde Pseudo-Dem. [XXV], 42, [XXVI], 21, [LX], 20, [LXI], 55. Praeterea saepius apud Demosthenem obviam est *πεῖραν διδόναι*: XVI, 29, XVIII, 107, 195, XXIV, 24, prooem. XVII, epist. II, 15, *πεῖραν ἔχειν* XXIII, 179, id. epist. [V], 2, *ἀπόπειρα ἐγίγνετο* [XVII], 26. Cum nostro loco potest componi [LVI], 18 *διάπειραν ὑμῶν λαμβάνειν βουλόμενος*,

[1]) Cf. Argumentum orationis XLVIII pag. 1165, 6 *καὶ λόγῳ καταχρῷτο ψιλῷ*.

[XLIV], 58 *διάπειραν ποιούμενος τῶν τρόπων*. Ipsum verbum *διαπειρᾶσθαι* legi apud Antiphont. V, 33 *διαπειραθέντα δ' αὐτὸν τὰ ψευδῆ λέγειν*, Dinarch. II, 3 *οὗτός μοι δοκεῖ — διαπειρασόμενος ἥκειν τῆς ὑμετέρας γνώμης*, Thucyd. VI, 91, Plato apol. 27 A.

§ 48 *ἀκολουθῆσαι ὡς Ἀνδροκλείδην.*

Ἀκολουθεῖν non in numero eorum verborum est quibuscum Demosthenes praepositionem *ὡς* iungit. Hanc vero differentiam non admodum premi velim, quia *ἀκολουθεῖν* ad verba movendi pertinet, quibuscum et Demosthenes et ceteri oratores hanc praepositionem fere iungunt.[1] Apud Demosthenem praepositio *ὡς* pendet ex his verbis: *ἐλθεῖν* XVI, 12, XIX, 139, 192, 316, XXI, 218 (*τοῦ πράγματος ἐλθόντος ὡς ὑμᾶς*), XXIII, 127, 132, XXX, 33, XLV, 81; adde Pseudo-Dem. [XLVII], 68, [XLVIII], 5, [LIII], 7, [LIX], 33 (bis), 42, 50 (bis), 120; *πέμπειν* IV, 48, VIII, 35, XIX, 12, XX, 38; adde Pseudo-Dem. [XLIX], 22, 31, 57, [LIX], 100; *ἀφικνεῖσθαι* XXI, 112 (subj. *τἀδικήματα*); adde Pseudo-Dem. [XLIX], 22, 24, 31, [L], 20, 46, [LIII], 7 (*ἀφικόμενος δ' οὗτος καὶ ἐλθὼν ὡς ἐμέ*), [LIX], 31;[2]) *λαβεῖν* XXVII, 26, 27, 48, XXVIII, 12, XXIX, 37, XXXVII, 26; *ἄγειν* XIX, 286 (*ὅπλα*), XXIV, 12; adde Pseudo-Dem. [L], 46, 48; *ἀπάγειν* XXIII, 31 (bis), 32 (quater), 216 (bis); *πρεσβεύειν* XIX, 126, 229, XX, 73; *εἰςελθεῖν* XXI, 119 (*οἴκαδε ὡς*), XXVIII, 14, XXXVII, 8, 45 (*ὡς αὐτὸν ἐπὶ τὰς ἐπικλήρους*); adde Pseudo-Dem. [XLVII], 1; *ἥκειν* XVIII, 169, XIX, 58, 111; *ἀποστέλλειν* XIX, 121, [LVI], 25; *πλεῖν* XX, 31; adde Pseudo-Dem. [XII], 5, [L], 50; *κομίζειν* XXI, 167, XXIII, 149; *ἐπανάγειν* XVIII, 133; *ὑπερβαίνειν* XXII, 53; *ἐκπέμπειν* IX, 71, XIX, 295; *εἰσπηδᾶν* LIV, 5.

Non ad verba movendi pertinent:[3]) *συγγράφειν ἐπιστολήν* XIX, 316; *προςνέμεσθαι* II, 29 *οἱ δ' ἄλλοι προςνενέ-*

---

[1]) Cf. Rehdantzii Indd. II s. v. *ὡς*.

[2]) Rehdantzium hic plura exempla fugisse videntur; dicit enim l. l. sibi ex omnibus oratoribus quinque tantum exempla elocutionis *ἀφικνεῖσθαι ὥς τινα* in promptu esse. Equidem ex solo corpore orr. Demosth. octo exempla enumeravi.

[3]) De his cf. Rehdantzium l. l.

μισθε οἱ μὲν ὡς τούτους, οἱ δὲ ὡς ἐκείνους = [XIII], 20; συντελῆ ποιεῖν XV, 26 ὡς αὐτοὺς συντελῆ ποιεῖν (sc. πόλιν).

Accedunt ex Pseudo-Demosthene: ἐπαναφέρειν [VII], 9 (cf. Rehdantz); ἀναλαμβάνειν LIX, 57; ἀποδημεῖν [XLIX], 25; ἀναγωγὴν ποιεῖσθαι [XLIX], 28; ἀνάγεσθαι [XLIX], 30, 35, 60, 64; ἐνεγκεῖν [XLIX], 51; ἀποπλεῖν [L], 49; κατάγεσθαι [LIX], 47; καθιστάναι [LIX], 22; ἰέναι ἐπὶ δεῖπνον [LIX], 48.

Plurima exempla praepositionis ὡς inveniuntur in orationibus [XLIX] (undecim in undeseptuaginta §§), [LIX] (decem in centum viginti et sex §§), XIX (undecim), XXII (undecim).

§ 49 οὕτω πεφιλοσόφηκεν ὥστε.

Ne hoc quidem verbum apud Demosthenem inveni, cum synonyma σοφίζεσθαι, σοφιστής, σόφισμα sim. saepissime occurrant cf. XVIII, 227, XXIX, 28, LV, 31 (καὶ τοῦτο εὕρηνται σόφισμα), XIX, 250, XXIX, 15 etc. De verbo φιλοσοφεῖν egit Frohberger ad Lysiae or. XXIV § 10, ubi paulo alio sensu legitur, εἰκὸς γάρ, ὦ βουλή, τοὺς ἔχοντάς τι δυστύχημα τοιοῦτον ζητεῖν τοῦτο καὶ φιλοσοφεῖν", „darüber studieren" explicat Frohberger; similiter usurpatum est Isocr. XV, 121 τοῦτ᾽ ἐφιλοσόφει καὶ τοῦτ᾽ ἔπραττεν, VIII, 5 μελετᾶν καὶ φιλοσοφεῖν, epist. VII, 3 ζητεῖν καὶ φιλοσοφεῖν. Propriam significationem, litteris, imprimis arti rhetoricae operam navare hoc verbum habet Isocr. II, 35 τὸ μὲν γὰρ φιλοσοφεῖν τὰς ὁδούς σοι δείξει, IV, 6 χρὴ σκοπεῖν καὶ φιλοσοφεῖν τοῦτον τὸν λόγον 186 al. Nostro loco Frohbergero „πεφιλοσόφηκεν" cum irrisione quadam dictum videtur „hat sich's ausgediftelt", mihi indignatio videtur praevalere.

§ 50 καταφανὴς γένοιτο, cl. § 51 καταφανὴς ἔσται, § 55 καταφανῶς μαίνεται.

De voce καταφανής idem valet quod de voce εἰκῆ § 43: non extat nisi in Demosthenis orationibus tutelaribus XXVII, 41 τὸ πλῆθος οὐ βουλόμενος καταφανὲς ποιῆσαι, XXX, 6 ἦν καταφανὴς εὐθὺς ἀδικούμενος. Frequentius occurrit in orationibus suppositiciis, cf. Schulzei prolegg. pag. 51, ubi singuli loci enumerantur; fugit Schulzeum or. [XXXXII], 30 τὸν οὕτω καταφανῶς ἐν ἅπασιν ἀδίκως πεποιημένον.

§ 52 *ἀλλὰ διέφθαρται, ὦ. ἄ. δ., καὶ παραφρονεῖ*, coll. § 55 *μαίνεται καὶ παραφρονεῖ*, 56 *παραφρονῶν ὡς οὐδεὶς πώποτε παρεφρόνησεν ἀνθρώπων*.

Verbum *παραφρονεῖν*, quod scriptor or. XLVIII quater exhibet, in ceteris orationibus corporis Demosthenici nusquam repperi. Videtur hoc verbum, quantum comperire potui, in prosa Attica omnino non ita frequens esse; legi identidem apud Isaeum II, 20. 25. 26, 40, 43, cf. praeterea Antiph. II β 9; Platon. legg. X, 899 C. Valde in deliciis est poetis cf. Soph. Phil. 815; Aeschyl. Sept. 806; Aristoph. vesp. 8; Theocr. XXV, 262 *ὀδύνῃσι παραφρονέοντα βαρείαις* etc. etc. — Rarissimum in prosa Attica, ut hoc statim addam, est etiam aliud insaniendi verbum, quo scriptor or. XLVIII infra § 56 utitur *μελαγχολᾶν δοκῶν ἅπασι τοῖς οἰκείοις*. *Μελαγχολᾶν*, proprie ex atra bile laborare, extat v. c. apud Platonem Phaedr. 268 E *Ὦ μοχθηρέ, μελαγχολᾷς*, identidem apud poetas scaenicos: Aristoph. av. v. 14; Plut. v. 12; Sophocl. Trach. 573 (*ἰὸς μελάγχολος* atra bile imbutus), saepius apud posteriores cf. Lucian. Lexiphan. c. 16 *νοσοῦντα νόσον τὴν μεγίστην, μᾶλλον δὲ μελαγχολῶντα*; Timon c. 8 *μελαγχολῶν τοῖς κακοῖς*.[1])

§ 52 *ὑμεῖς οἱ τὴν ψῆφον ἔχοντες.*

Hanc phrasin non memini me adud Demosthenem legere; non extat nisi Pseudo-Dem. [XLIII], 60 *οἱ δικασταὶ οἱ τὴν ψῆφον ἔχοντες*. Demosthenes eandem sententiam aliis elocutionibus efficit: *οἱ δικάζοντες* XXII, 10 (*τοὺς δικάζοντας ὑμᾶς*), XXIX, 44 al.; *οἱ δικάζοντες ἀεὶ* XXI, 177, 223 (*οἱ ἀεὶ δικά-*

[1]) Ea verba, quibus Demosthenes notionem dementiae vel stultitiae exprimit, collegit Rehdantz Ind. II s. v. Thorheit. Ceterum notandum est haec verba imprimis ea, quae dementiam exprimunt, item atque composita *ὑπέρ* praefixo formata, fere omnia legi in orationibus publicis: abundant eis praecipue orationes XVIII et XIX. Longe rariora sunt in orationibus privatis [cf. XXVII, 55, XXXVI, 48, LVII, 64 (*μανία*); paulo saepius occurrunt verba quae stultitiam exprimunt XLV, 14, 41, 51, XXXVI, 46, XXXIX, 6, XXVIII, 5, LIV, 14, 15] ita, ut hac quoque re oratio nostra a genere Demosthenis valde recedat; continet enim novem dementiae vel insaniae elocutiones, quater *παραφρονεῖν* §§ 52, 55, 56 (bis), ter *μαίνεσθαι* §§ 53, 54, 55, semel *διέφθαρται* § 52, semel *μελαγχολᾶν* § 56, adde *ὑπεραβέλτεροι* § 42, *οὐδ' ἂν ὁτιοῦν* — *ὡς ὑγιές τι λέγοντος* § 51.

ζοντες); *οἱ ὀμωμοκότες* XX, 93 (*παρ' ὑμῖν ἐν τοῖς ὀμωμοκόσιν*), XXIV, 78 (*τὰς ὑπὸ τῶν ὀμωμοκότων γνώσεις*), 90 (*τοὺς δικαστὰς τοὺς ὀμωμοκότας*), XXIX, 53, epist. II, 1 saepius; *οἱ ὀμωμοκότες καὶ δικάζοντες* XIX, 284 (Accus.); *οἱ καθήμενοι* XX, 165 (*ἐν δὲ τῇ τῶν καθημένων ὑμῶν ἑκάστου γνώμῃ*); *οἱ ἀεὶ κύριοι* XXI, 57 (*ἡ παρ' ὑμῶν ὀργὴ τῶν ἀεὶ κυρίων*).

Nostro loco quodammodo respondet Dem. XXXVII, 47 *ἡ δ' ὀργὴ παρὰ τῶν ἐξηπατημένων ὑπὸ τούτου δικαστῶν, ἐφ' ᾧ τὴν ψῆφον εἶχον πράγματι, τούτου κατεψηφίσατο.* Pseudo-Dem. [VII], 7 *οἱ δὲ δικασταί, οἷς ἂν ἐπιτρέψητε, οἱ κύριοι τῆς ψήφου*; Lycurg. adv. Leocr. § 2 *ὑμᾶς — ἔχοντας ὑπὸ τῇ ψήφῳ τὸν προδότην*, 115 *ὑμεῖς δ' αὐτὸ τὸ σῶμα τὸ προδεδωκὸς τὴν πόλιν ζῶν καὶ ὑποχείριον ἔχοντες τῇ ψήφῳ.*

§ 56 *Σόλων ὁ νομοθέτης.*

Additamentum *ὁ νομοθέτης* non ex more Demosthenis est. Is plerumque simpliciter dicit *Σόλων* vel *ὁ Σόλων* vel etiam *ὁ νομοθέτης.*[1]) *Σόλων ὁ νομοθέτης* extat or. [XLIII], 62; cf. praeterea Aesch. I, 6 *ὁ Σόλων ἐκεῖνος ὁ παλαιὸς νομοθέτης* id. III, 175. — Haec habui, quae dicerem de verbis deque verborum structuris. Satis magnam copiam eorum mihi attulisse videor quae ab usu dicendi Demosthenis longe recedant ac luculenter demonstrent orationem adversus Olympiodorum a Demosthene compositam esse non posse.

Priusquam ad alteram elocutionis partem, ornatum et figuras, transeam, pauca disseram de figura, quae dicitur etymologica, in oratione nostra ter adhibita § 34 *τὴν πρόκλησιν, ἣν προεκαλεσάμην*, § 50 *ἐγκλήματα ἐγκαλῶν*, et § 55 *ἐξόδους λαμπρὰς ἐξιοῦσαν.* Neque enim satis liquet, quatenus usus huius figurae apud Demosthenem pateat.[2]) Rehdantz Ind. II[3] pag. 231 recte dicit translaticiam eam esse inprimis in elocutionibus ad rempublicam et ad usum forensem spectantibus et magnam copiam exemplorum ex orationibus corporis Demosthenici collectorum affert. Sed cum neque plena sit enumeratio

[1]) Cf. G. H. Schaef. ad pag. 1070, 25.

[2]) In universum de figura etymologica consulendus est Lobeck Paralip. pagg. 501—538. Equidem id tantum genus tractabo, quo verbum et accusativus substantivi ab eadem radice derivata inter se coniugantur.

eius neque facilis conspectus, operae pretium videtur esse, omnia exempla figurae etymologicae, quae in corpore orationum Demosthenicarum occurrunt, ex litterarum ordine disposita additis singulis locis in medium proferre:

Ἀγῶνα ἀγωνίζεσθαι XVIII, 262, XXII, 24, [LVIII], 61, [LIX], 1, epist. II, 5; *ἀδικίαν ἀδικεῖν* XLV, 79; *αἰτίαν αἰτιᾶσθαι* XXXVI, 25, [VII], 1; *ἀναλώματα ἀναλίσκειν* XXVII, 22 (bis), [XXXV], 18, [L], 21, [LIX], 21; *ἀπογραφὴν ἀπογράφεσθαι* [XLII], 16; *ἀποστόλους ἀποστέλλειν* XVIII, 80, [VII], 16; *ἀρὰς ἐπαρᾶσθαι* LIV, 38; *ἀρχὴν ἄρχειν* XVIII, 114. 117, XIX, 13 (medium), XXIV, 112, LVII, 46. 48. 67, [XXV], 23, [LVIII], 29; *ἀτύχημα ἀτυχεῖν* [XXXII], 11.

Βίον βιοῦν XIX, 199. 200, XLV, 63, [XXV], 77, cf. XVIII, 263 (*λαγὼ βίον ἔζης*).

Γνῶσιν γιγνώσκειν XXXVI, 17; *γράμματα γράφειν* XXI, 224, [L], 28; *γραφὴν γράφεσθαι* XXI, 110, XLV, 4, [VII], 43, [LVIII], 2, 6, 15, 36, [LIX], 1, 14, 16, 52, 66, 68, 125, [LIII], 16.

Δαπάνας δαπανᾶν [VII], 16; *δέησιν δεῖσθαι* XXIX, 4, [XLIII], 17, [XLVII], 46, [L], 2; *δημηγορίας δημηγορεῖν* XXI, 202; *διαθήκην διατίθεσθαι* [XLVI], 2, 3, 12, 15 (bis), 16, 24; *δίαιταν διαιτᾶν* [LII], 15, [XLIX], 19 (*δ. ἀποδιαιτᾶν*); *δίκην δικάζειν* LV, 31 (*δικάζονται δ.*), [XXXV], 46, [XL], 38, [LIII], 15 (*δίκην καταδικασάμενος*), 23, [LVI], 48.

Ἐγκλήματα ἐγκαλεῖν **XLVIII, 50**; *εἰσαγγελίαν εἰσαγγέλλειν* [XLVII], 42; *εἰσφορὰν εἰσφέρειν* XXIV, 198, XXVII, 9. 37 (pl.), 64 (pl.), XXVIII, 7 (pl.), XXIX, 60; *εἴσπραξιν εἰσπράττειν* XXIV, 160; *ἔκδοσιν ἐκδιδόναι* [LII], 20; *ἐκπλοῦν ἐκπλεῖν* [XLIX], 6, [L], 22. 47, 48; *ἐκπώματα προπίνειν* XIX, 139; *ἐξόδους ἐξιέναι* **XLVIII, 55**; *ἐπανόρθωμα ἐπανορθοῦσθαι* [VII], 30, cf. 18; *ἐπιβολὴν ἐπιβάλλειν* XXI, 179; *ἐπιβουλὴν ἐπιβουλεύειν* [LIII], 16; *ἐπιδόσεις ἐπιδιδόναι* XVIII, 171; *ἐπιστολὰς ἐπιστέλλειν* IV, 37, [VII], 41; *ἐργασίαν ἐργάζεσθαι* [LIX], 41; *ἔργον ἐργάζεσθαι* XXIII, 71, XXIV, 115; *εὐχὰς εὔχεσθαι* XIX, 128, 130; *εὐπορίας εὐπορεῖν* XX, 26.

Θέρος ἐκθερίζειν [LIII], 21; *θυσίας θύειν* epist. III, 30. [LIX], 74, 116.

Καταβολὰς καταβάλλειν [LIX], 27; *καταχύσματα καταχέειν* XLV, 74; *κατηγορίαν κατηγορεῖν* VIII, 8; *κέρδος κερδαίνειν* XXIV, 201; *κινδύνους κινδυνεύειν* XXIII, 214, [L], 21, [LVIII], 67; *κρίσιν κρίνεσθαι* XXI, 64, XXIV, 134, 151 (*κρίνοντα τὰς κρίσεις ἁπάσας*).

Λῃτουργίας λῃτουργεῖν XVIII, 267, XXI, 154, 171, XXVIII, 3, XXXVI, 40, XLV, 66, [L], 9, [LIX], 117; *λήμματα λαβεῖν* XXVII, 22, 39 (*λῆμμα λ.*); *λοιδορίαν λοιδορεῖσθαι* XXI, 132; *λογισμὸν λογίζεσθαι* [LIX], 57; *λόγον(ους) λέγειν(εσθαι)* IV, 9, IX, 41, XIV, 24, XVI, 14, XVIII. 42, 111. 313, XX, 24, 92, 112, XXI, 104, XXIII, 192. XXIV, 194, XXVII. 25, XXXVI, 33, XXXVIII, 6, [VII], 2, 20, 23, [X], 55, [XXXV]. 16, 44, [LVIII], 7, [LIX], 31, 68, 82, prooem. XXIV, epist. V, 2. cf. or. VIII, 52.

Μαρτυρίαν μαρτυρεῖν XXIX, 15, [XLIII], 4, [XLVI], 11. [XLVII], 1, 46; *μάχην μάχεσθαι* [LIX], 96, 97 (*συμμάχεσθαι*).

Ναυμαχίαν ναυμαχεῖν [LIX], 97; *νεωσοίκους οἰκοδομεῖσθαι* [VII], 16; *νομὴν νέμεσθαι* XXXVI, 21; *νόμους νομοθετεῖν* [XLVI], 27.

Οἰκίαν οἰκεῖν XXVII, 13, 16, 46, XXIX. 43. [XXV], 87. [LIX], 36 (*ὀ. διοικεῖν*), XIX, 275 (*οἰκίας οἰκοδομεῖν*); *ὅρκον ἐπιορκεῖν* [XLIX], 65, 66.

Πάθος παθεῖν XVIII, 45; *παιδείαν παιδεύειν* [XXXV], 42; *πανουργίας πανουργεῖν* XXXV. 56; *παραγραφὴν παραγράφεσθαι* [XXXV], 45; *παράγραμμα προσπαραγράφειν* XXXIX, 9; *παράδειγμα ὑποδεικνύναι* [LXI]. 14; *παρανομίαν παρανομεῖν* [XLIV]. 35; *πλοῦν πλεῖν* [L], 22, 47, 48, [LVI], 33, 49; *ποίησιν ποιεῖν* [XLIV]. 61, cf. *ποιητοὺς υἱοὺς ποιεῖσθαι* ibid. 63; *πομπὰς πέμπειν* IV, 26; *πολιτεύματα πολιτεύεσθαι* VIII, 71;[1]) *πόλεμον πολεμεῖν* II, 7, XV, 17, XVIII, 20, 87 (*συμπολεμεῖν*), XXIII, 150. [LIX], 35; *πόρον πορίζειν* [XXVI], 17; *πρᾶγμα πράττειν* VIII, 75, XVIII, 286. XIX, 77, 133 (*διαπράττεσθαι*), XXI, 110

[1]) „*ὅτι τῶν τοιούτων πολιτευμάτων οὐδὲν πολιτεύομαι*“.

(*διαπράττεσθαι*), XXIII, 4, XXXVI, 53, XLV, 16. [X], 5. epist. I. 14; *πρᾶξιν πράττειν* [XL], 36; *πρεσβείας πρεσβεύειν* epist. II, 10; *προδόσεις διδόναι* [L], 7, 12; *πρόκλησιν προκαλεῖσθαι* XXXVII, 12, [XL], 44, [XLVII], 6, 13, 14, 15. [LIII], 22, [XLIX], 65, [LVI], 17, [LIX], 120, 124, **XLVIII, 34**; *τὰ προςηγγελμένα ἀπαγγέλλειν* XVIII, 170; *τὰ πρόςφορα φέρειν* [LIX], 55.

Σπονδὰς σπένδεσθαι XXI, 174; ***στρατείας στρατεύεσθαι*** XXI, 95; *συγγραφὴν συγγράψασθαι* [XXXV], 1; *συγγραφὴν γράψασθαι* [LVI], 6, 19, 49; ***σύμβολα συμβάλλειν*** [XXXIV], 1; ***συμφορὰς φέρειν*** II, 9.

Τάξιν τάττειν XV, 32; ***τέλος τελεῖν*** XXIV, 144; *τριηραρχίας τριηραρχεῖν* XLV, 85, [XLVII], 23; *τρόπον* ***εὐτρεπίζειν*** I, 13.

Ὕβριν ὑβρίζειν XXII, 68 (*ὕβρεις*), XXIII, 121; ***ὑποσχέσεις*** *ὑπισχνεῖσθαι* XIX, 47.

Φόρους φέρειν [VII], 12; ***φορὰν φέρειν*** [XXV], 21.

Χάριτας χαρίζεσθαι XVIII, 239.

Ψεῦδος *ψεύδεσθαι* [XLIII], 29; *ψήφισμα ψηφίζεσθαι* XXIII, 172, LVII, 64, [VII], 26.

Saepissime omnium utitur figura etymologica scriptor

		or.	[XLVI]	in	28 §§	novies i. e.	in	$3^{1}/_{9}$	§§	semel[1])
deinde	sequitur	„	[VII]	„	46 §§	decies	„	$4^{3}/_{5}$	§§	„
„	„	„	[LIX]	„	126 §§	vicies sexies	„	$4^{11}/_{13}$	§§	„
„	„	„	[LIII]	„	29 §§	sexies	„	$4^{5}/_{6}$	§§	„
„	„	„	XXVII	„	69 §§	undecies	„	$6^{3}/_{11}$	§§	„
„	„	„	[XXXV]	„	56 §§	novies	„	$6^{2}/_{9}$	§§	„
„	„	„	[LVI]	„	50 §§	octies	„	$6^{1}/_{4}$	§§	„
„	„	„	[L]	„	68 §§	decies	„	$6^{4}/_{5}$	§§	„
„	„	„	[LVIII]	„	70 §§	octies	„	$8^{3}/_{4}$	§§	„
„	„	„	[XLVII]	„	82 §§	novies	„	$9^{1}/_{9}$	§§	„
„	„	„	XXXXI	„	62 §§	sexies	„	$10^{1}/_{3}$	§§	„
„	„	„	XLV	„	88 §§	octies	„	11	§§	„
				etc.	etc.	etc.				

Sentis figuram etymologicam in spuriis orationibus in universum saepius legi quam in genuinis. Tamen ex sola abundantia figurae etymologicae non concluserim orationem ali-

[1]) Sed notandum est eandem figuram etymologicam „*διαθήκας διατίθεσθαι*“ septies redire.

quam spuriam esse neque fecerim cum Gersdorfio (in Schaeferi appar. T. I pag. 130), qui assentiente Rehdantzio (Ind. II, 232) orationem [VII] *περὶ Ἁλοννήσου* propterea maxime reicit, quod multa exempla figurae etymologicae continet. Nam ne apud Demosthenem quidem figura etymologica tam rara est quam Gersdorf opinatur:[1] abundant ea imprimis orationes XVIII (quinquiesdecies), XIX (duodecies), XXI (duodecies), XXVII (undecies), XXIV (decies), XLV (octies), XXIII (septies), XXXVI (sexies). - Omnino non extat figura etymologica in orationibus: III, V, VI, XXXI, XLI, [XI], [XII], [XIII], [XVII], [XXX], [LI]; rara est in orationibus I, II, IX, XIV, XVI, XXXVII, XXXVIII, XXXIX, LIV, LV, [XXVI], [XXXII], [XLII], quae omnes unum tantum exemplum exhibent; bis legitur in orationibus XV, XX, XXVIII, [X], [LII]; ter in orationibus IV, VIII, [XL], [XLIII], [XLIV], XLVIII, quater in orationibus XXIX, LVII, [XXV].

Age nunc redeamus, unde digressi eramus, ad

Ornatum et figuras or. XLVIII.

Magnam partem eorum, quae huc pertinent iam Schaefer, Blass, Uhle contulerunt ll. ll. Itaque nostrum erit magis horum virorum observationes supplere, et ubi res postulat corrigere.

Incipiamus autem a verborum inopia, qua maxime orationem nostram laborare neminem fugisse puto, qui vel obiter eam perlegerit. Semper eadem verba eaedemque locutiones sine ulla varietate repetuntur, ita ut lectorem multis locis summum taedium capiat et *μονοτονία* molestissima efficiatur, quam Demosthenes, si quis alius evitavit. Congessi haec exempla:

1 *ἀδικῶνται* . *ἀδικεῖσθαι* . *ἀδικεῖσθαι* . 2 in. *ἀδικούμενος*,
1 extr. *ἠνάγκασμαι* . 2 extr. *ἠνάγκασμαι ὑπὸ τούτου* (Bl.),
3 *ἐάν — μὴ ἐπιτυγχάνητε τούτου* . 30 *ἐπιτύχῃ τοῦ ἀγῶνος* (U.),
4 cl. 32, 36 *οὐδ᾽ ὁτιοῦν τῶν δικαίων ποιεῖν* (U.), cf. 42, 50,
5 *Κόνων Ἁλαιεύς* . *οὗτος ὁ Κόνων ἐτελεύτησεν* . *ὅτ᾽ ἐτελεύτα* (Sch.),
6 *ἀναισχυντεῖν ἐπιχείρει* . *ἀναισχυντία τοῦ λόγου* (Bl.),
6 extr. *διαλεξόμεθα* . 7 *διελεγόμεθα* . *διαλεγόμενοι* (Bl.),
9 cl. 41 *ὅ τι ἂν ἀεὶ δέῃ* (U.), 9 cl. 12, 19, 33, 37 *κατέλιπε Κόνων*.

[1]) Cf. quae Lobeck l. l. disputat contra Gersdorfium.

9 *συνθήκας ἐγράψαμεν πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς — καὶ ὅρκους ὠμόσαμεν ἀλλήλοις*; similia redeunt 10, 11, 12, 17, 19, 30, 32, 51,

10 *ἀμφισβητήσοντας . ἐβούλετ' ἀμφισβητεῖν . τὸν βουλόμενον ἀμφισβητεῖν*,

11 *τὰς συνθήκας . τὰς συνθήκας . τὰς συνθήκας* in quattuor vss.,

11 *τοῦ ἔχοντος τὰς συνθήκας*, cl. 46. *τῷ ἔχοντι τὰς συνθήκας* id. 51,

12 *διεῖλον . 13 διελὼν . διειλόμεθα*,

12 *δύο μερίδας . ἡ μὲν ἑτέρα ἦν μερίς . ἡ δ' ἑτέρα ἦν μερίς*, cl. 13 *τὰς δύο ταύτας μερίδας . τῶν μερίδων . 14 τῇ μερίδι*,

14 *ὁ Κόνων . τοῦ Κόνωνος . τῷ Κόνωνι . 15 τὸν Κόνωνα* in quinque verss.; paulo infra *τὸν Κόνωνα* (Sch.),

14 *καὶ δὴ καί . 25 καὶ δὴ καί* in duobus vss.,

14 *τὸ ἀργύριον . 15 τὸ ἀργύριον . τοῦ ἄλλου ἀργυρίου . τὸ ἀργύριον*,

15 *ἔλαθε τὸν Κόνωνα . ἐλάνθανε τὸν Κόνωνα*,

15 *ὑφαιρούμενος το ἀργύριον . ὑφαιρεῖται*, cl. 16 *ὑφέλοιτο τοῦ Κόνωνος*. 18 *ὑφελόμενος Κόνωνος*,

15 extr. *ὁ ἄνθρωπος . 16 περὶ τἀνθρώπου τούτου . τὸν ἄνθρωπον . καὶ ὁ ἄνθρωπος* in sex verss.,

16 *ὑποψία τις ἐγένετο . ἐκ δὲ ταύτης τῆς ὑποψίας . 18 ἐκ ταύτης τῆς ὑποψίας* (Bl.),

16 *οὐ πολλῷ δὲ χρόνῳ ὕστερον . 18 οὐ πολλῷ χρόνῳ ὕστερον*,

17 *καὶ ἀποδίδωσι . οὐ ἀπέδωκεν . 18 ἀποδίδωσιν . 19 ἀποδεδωκὼς εἴη . ἀποδώσειν . ἀπεδεδώκει*,

18 *κοινῇ ζητήσειν καὶ πράξειν μετ' ἐμοῦ πάντα*, cf. § 9 *κοινῇ ζητήσειν καὶ πράξειν μετ' ἀλλήλων*,

21 *καὶ ἀνάγκη ἦν ταῦτα συγχωρεῖν καὶ συνεχώρησα*, cf. § 50,

22 *ἐβουλευόμεθα ἐγὼ καὶ Ὀλ. οὑτοσὶ κοινῇ —, ὅντινα τρόπον* = 28 *καὶ ἐβουλευόμεθα κοινῇ, ἐγὼ καὶ Ὀλ. οὑτοσί, ὅντινα τρόπον . 30 ἐπειδὴ δὲ ταῦτ' ἐβουλευσάμεθα*,

22 *καὶ ἔδοξεν ἡμῖν ὦ. ἄ. δ. τουτονὶ μὲν Ὀλ. τοῦ κλήρου ὅλου ἀμφισβητεῖν, ἐμὲ δὲ τοῦ ἡμικληρίου, ἐπειδὴ καὶ Κάλλιππος ὁ ἀδελφὸς ὁ ἐμὸς τοῦ ἡμικληρίου μόνον ἠμφισβήτει*. Prorsus eadem verba redeunt § 29,

22 *ἄριστα καὶ ἀσφαλέστατα . 29 ἐδόκει — ἀσφαλέστατον εἶναι* id. 30,

23 *ἔδει ἀγωνίζεσθαι . πρὸς τὸ ἤδη ἀγωνίζεσθαι*,

24 *στρατιώτας ἐκπέμπειν . στρατεύεσθαι . στρατευόμενος . στρατευομένου* in quattuor vss.; statim § 25 *στρατευόμενον* (Sch.),

24 *δημοσίᾳ τούτου ἀποδημοῦντος . 25 τῆς δίκης ἕνεκ' ἀπεῖναι τουτονὶ καὶ οὐ δημοσίᾳ . 41 δόξαντός σου ἕνεκα τῆς δίκης ἀπεῖναι καὶ οὐ δημοσίᾳ*,

25 *ὑπωμοσάμεθα ἡμεῖς τουτονί . ὑπομοθέντος δὲ τούτου . ἀνθυπωμόσαντο*,

25 extr. *τοὺς δικαστὰς ψηφίσασθαι* . 26 in. *ψηφισαμένων δὲ ταῦτα τῶν δικαστῶν* (Bl.),

26 *διέγραψεν ὁ ἄρχων τὴν ἀμφισβήτησιν . διαγραφείσης δὲ ταύτης . 41 ἐπειδὴ καὶ ἡ σὴ διεγράφη* (Bl.),

26 *ἐκλιπεῖν τὴν τοῦ ἡμικληρίου ἀμφισβήτησιν . 41 οὐδ' ἐκλιπεῖν τὴν ἀμφισβήτησιν* (Bl.),

26 ἐπεδίκασεν ὁ ἄρχων . 27 ἐπειδὴ δ' ἐπεδικάσαντο . 34 ἐπειδὴ ἐπεδικάσαντο . 29 τοὺς ἐπιδεδικασμένους, cf. 32, 35 (Bl.),

27 ἅπαντα ᾤχοντο λαβόντες . 34 ἅπαντα παρέλαβον ὅσα ἡμεῖς εἴχομεν . 35 ἔλαβον ὅσα ἡμεῖς εἴχομεν,

27 πλὴν τοῦ ἀργυρίου, οὗ εἶχεν — παρὰ τοῦ ἀνθρώπου τοῦ οἰκέτου, ὃν ἐβασάνισεν. Eadem fere verba redeunt §§ 32, 34, 35, 37,

27 ἐπιδημῶν . ἀποδημοῦντος τούτου . 28 ἐν τῇ ἀποδημίᾳ . ἐπειδὴ δ' ἐπεδήμησεν,

29 προςκαλεῖσθαι — κατὰ τὸν νόμον . 30 προςεκλήθησαν — κατὰ τὸν νόμον . 30 τὸν νόμον, καθ' ὃν ἡ πρόςκλησις ἐγένετο . 31 κατὰ τὸν νόμον τοῦτον, ὦ. ἄ. δ., ἡ πρόςκλησις ἐγένετο,

31 καὶ ἔλεγεν ὅ τι ἐβούλετο . 43 τά τ' ἄλλα ἔλεγεν ἃ ἐβούλετο . 44 πάνθ' ὅσα οὗτος ἐβούλετο λέγειν,

31 καὶ μαρτυρίας παρείχετο ἃς ἐδόκει τούτῳ . 43 περὶ ὧν τὰς μαρτυρίας παρέσχου, οὕτως ἂν παρασχέσθαι,

32 ταῦτα δὴ πάντ' ἔχων . ἀλλ' ἔχει αὐτὸς ἅπαντα,

32 ὁμωμοκὼς — ἦ μὴν ἰσομοιρήσειν . 38 ὁμωμοκὼς ἰσομοιρήσειν,

32 καὶ αἱ συνθῆκαι ἔτι καὶ νῦν κεῖνται . 38 τῶν συνθηκῶν ἔτι νυνὶ κειμένων,

36 προφάσεις ἀτόπους τινὰς καὶ ὑπονοίας καὶ αἰτίας ψευδεῖς. Simillima leguntur §§ 39, 42, 50,

37 τὸ ἀργύριον . τὸ ἀργύριον . τοῦ ἀργυρίου,

38 τῶν ἐπιτηδείων τῶν τούτου καὶ τῶν ἐμῶν, cf. §§ 2, 40, 55,

38 ὑπεναντία καὶ λέγοντα καὶ πράττοντα ἑαυτῷ . 41 ὑπεναντία μὲν πράττειν σοι . 45 ὑπεναντία λέγων αὐτὸς αὑτῷ . 46 τἀναντία πράττοντος,

38 φησί με παραβεβηκέναι τὰς συνθήκας . 46 τὰς συνθήκας — ὡς παραβαίνοντος ἐμοῦ . 50 ἅς φησί με παραβεβηκέναι,

40 τοῖς εἰδόσιν ἀκριβῶς . ἀκριβῶς γὰρ ᾔδει,

43 εἰ μὴ μετὰ σοῦ κοινῇ συνηγωνιζόμην . 44 κοινῇ γὰρ ἠγωνιζόμην μετὰ σοῦ,

44 τὸ ἀργύριον — ὅτι ἐδανεισάμην παρ' αὐτοῦ . 45 τοῦ ἀργυρίου οὗ ἔλεγες — ὅτι ἐδάνεισάς μοι,

45 ἐπεὶ εἰ μή ἐστι ταῦτ' ἀληθῆ ἃ λέγω . 47 εἴπερ τι ἦν ἀληθὲς ὧν λέγει (U.), cf. 46 εἴ τι ἀληθὲς ἦν ὧν λέγει,

45 τούτων οὐδὲν ἐποίησας, cf. §§ 47, 49, 54 (U.),

46 ἐχρῆν γὰρ αὐτόν . 47 ταῦτ' ἐχρῆν αὐτόν,

46 τὰς συνθήκας . τῶν συνθηκῶν . τὰς συνθήκας . τὰς συνθήκας ταύτας in sex versibus,

48 προὐκαλεσάμην . 49 ταῦτα δ' ἐμοῦ προκαλουμένου . προυκαλούμην τοῦτον . ὧν ἐναντίον προὐκαλούμην . 50 ἐναντίον τῶν μαρτύρων — προυκαλεσάμην . ἐναντίον τῶν δικαστῶν πάλιν προκαλοῦμαι,

48 πάλιν συμήνασθαι . 50 πάλιν σημανθῆναι,

48 ὅτι ἂν ὑμῖν δικαιότατον δοκῇ εἶναι, cf. §§ 52, 58 (U.),

49 ὥστε μὴ εἶναι ὑμᾶς ἀκοῦσαι τῶν συνθηκῶν . 50 τὰς δὲ συνθήκας — οὐκ ᾤήθη δεῖν ὑμᾶς ἀκοῦσαι . καὶ ἀκοῦσαι ὑμᾶς,

50 καὶ ἀξιῶ συγχωρεῖν αὐτὸν καὶ ἐγὼ συγχωρῶ. 51 καὶ συγχωρῶ. καὶ εἰ μὲν συγχωρεῖ,

51 ἐὰν δὲ μὴ ἐθέλῃ ταῦτα ποιεῖν. 58 ἐὰν δ' ἄρα μὴ ἐθέλῃ πείθεσθαι,

52 Ἀλλὰ τί ταῦτα σπουδάζω. 54 καὶ ταῦτ' ἐμοῦ σπουδάζοντος. 52 οἷς μέλλω λέγειν. 53 ὧν δὲ μέλλω λέγειν,

53 extr. περαιτέρω μαίνεσθαι. 54 in. πῶς γὰρ οὐ μαίνεται, id. 55,

54 αὗται γάρ εἰσιν αἱ ἀδικούμεναι οὐχ ἧττον ἐμοῦ. 55 πῶς γὰρ οὐκ ἀδικοῦνται. πῶς οὐκ ἐκεῖναι μᾶλλον ἔτι ἀδικοῦνται ἢ ἐγώ,

55 Σόλων ὁ νομοθέτης. ἐνομοθέτησεν — ὁ Σόλων. ὁ νομοθέτης.

Vides orationem ab initio usque ad finem mira quadam verborum inopia esse ac tantam molem repetitionem et iterationum cuiusvis generis continere, quanta maior vix cogitari potest. Si oratio nostra nullo alio vitio laboraret, nonne haec inaudita verborum inopia sufficeret ad eam Demostheni abiudicandam? Num in huius orationibus aut privatis aut publicis quid simile invenitur? Quid quod ex spuriis orationibus sola oratio [XLVII] adversus Euergum et fortasse orationes quae dicuntur Apollodoreae hac ex parte eam aequiperant. Quod Uhle pag. 83 extr. dicit cum his orationi XLVIII non communem esse molestissimam pronominum οὗτος et αὐτός iterationem, id verum est de pronomine αὐτός, non de pronomine οὗτος: hoc enim in oratione nostra centies quinquagies et novies inveni, i. e. paene ter in unaquaque paragrapho, in nonnullis §§ septies, cf. §§ 28, 31, 51, in aliis sexies § 55, quinquies in §§ 7, 8, 26, 44, 53, quater in §§ 20, 25, 30, 39, 49.

In reliquis quae adornatum pertinent scriptorem or. XLVIII, quamquam Demosthenicam elegantiam vigorem alacritatem minime aequat, tamen non reprehenderim. Magnam industriam impendit in amplificationem et exornationem singulorum verborum et sententiarum. Uhle pagg. 55 sqq. auctore Rehdantzio (Ind. I s. v. Erweiterung) tria maxime genera amplificationis distinguit:

1. „Quae negative expressa sunt, ea affirmative iterantur“ (σχῆμα κατ' ἄρσιν καὶ θέσιν. Eis quae Uhle ex §§ 2, 10, 32, 36, 41, 50 collegit adde § 2 μὴ ἀδικούμενος —, ἀλλὰ ψευδός τι ἐγκαλῶν.

2. „Quae affirmative expressa sunt, ea negative repetuntur.“ Uhlei exemplis ex §§ 18, 20 sumptis adde § 25 τῆς δίκης ἕνεκ' ἀπεῖναι τουτονὶ καὶ οὐ δημοσίᾳ id. 41.

3. „Quae affirmative aut negative expressa sunt, affirmative etiam aut negative repetuntur.“ a) „ea, quae pluribus verbis expressa sunt, aliis eiusdem fere notionis verbis repetuntur.“ Uhle collegit exempla ex §§ 1, 5. 7. 8. 20 (bis). 30. 32. 44. 46. 50. 51. Addas haec § 2 *ὅτι πάνυ ἂν ἠσχυνόμην καὶ ἐνόμιζον ἂν ἐμαυτὸν φαῦλον εἶναι ἄνθρωπον.* § 3 *ἀκούσαντας ἀμφοτέρων ἡμῶν καὶ αὐτοὺς δοκιμαστὰς τοῦ πράγματος γενομένους* ib. *μάλιστα μὲν διαλλάξαντας ἀποπέμψαι καὶ εὐεργέτας ἡμῶν ἀμφοτέρων ὑμᾶς γενέσθαι.* § 6 *ἐψεύδετο καὶ ἀναισχυντεῖν ἐπεχείρει,* § 7 *προσωμολόγησε ταῦτα καὶ καλῶς μ' ἔφη λέγειν.* 28 *ἠγανάκτει Ὀλ. οὑτοσί — καὶ ἡγεῖτο δεινὰ πεπονθέναι.* 30 *ἐπειδὴ δὲ ταῦτ' ἐβουλευσάμεθα καὶ ἐδόκει ἀσφαλέστατ' εἶναι.* 40 *τοῖς εἰδόσιν ἀκριβῶς ἅπαντα ταῦτα τὰ πράγματα ὡς ἔχει καὶ παρηκολουθηκόσιν ἐξ ἀρχῆς.* 45 *ψευδόμενος καὶ τἀναντία λέγων αὐτὸς αὑτῷ καὶ αἰτιώμενος τὰ οὐδεπώποτε γενόμενα.* 46 *ὡς παραβαίνοντος ἐμοῦ καὶ τἀναντία πράττοντος ἑαυτῷ.* 55 *πῶς γὰρ οὐκ ἀδικοῦνται ἢ πῶς οὐ δεινὰ πάσχουσιν;* — b) „Supervacua operositas“[1]) vel pleonasmus extat § 33 *πρώτιστον μὲν τὸ ἐξ ἀρχῆς* (U.), praeterea § 40 *εὐθὺς παραχρῆμα.* 43 *μετὰ σοῦ κοινῇ συνηγωνιζόμην.* § 8 *προειλόμην μᾶλλον.* — c) Verba cognominata, quae Demosthenem constat magno opere adamasse, etiam in hac oratione satis frequenter occurrunt. Uhle l. l. pag. 59 numerat

Verba cognominata septem ex §§ 6. 46. 48. cl. 50. 52. 55. 57 sumpta. His addi possunt §§ 28 *ἐσκοποῦμεν — καὶ ἐβουλευόμεθα.* 52 *ἀδικεῖ δὲ τοὺς θεοὺς — καὶ ἐπιορκεῖ.* ibid. *διέφθαρται — καὶ παραφρονεῖ.* 54 *ὡμολόγησε καὶ συνέθετο.*

Substantiva cognominata tria, ex §§ 16. 36. 39 sumpta. Adde ex § 42 *αἱ προφάσεις καὶ αἱ αἰτίαι.*

Adiectiva cognominata quinque, ex §§ 4. 22. 40. 46. 58 sumpta. Adde ex § 39 *ἀληθινὰ καὶ πᾶσι γνώριμα.*

Adverbia cognominata tria: § 17 cl. 30 et 48 *καλῶς καὶ δικαίως*; sed legitur idem etiam § 9, praeterea huc pertinet *ἄριστα καὶ ἀσφαλέστατα* § 22, quod Uhle falso adiectivis adnumerat.

[1]) Quint. VIII, 3, 55 est etiam, quae *περιεργία* vocatur, supervacua, ut sic dixerim, operositas.

Ne figurae quidem quamquam rarae sunt, prorsus desunt. Distinguuntur vulgo figurae verborum et figurae sententiarum. Ex illis inprimis notanda sunt similiter cadentia (ὁμοιόπτωτα) et similiter desinentia (ὁμοιοτέλευτα), quae Demosthenes ut nimis artificiosa vitavit.[1] noster autem identidem usurpavit cf. §§ 5 ἔσται παραγενέσθαι. 8 μηδεμίαν ἀηδίαν. 10 ἐγράψαμεν — ὠμόσαμεν. ib. μήθ' ἑκόντι μήτ' ἄκοντι. 38 λέγοντα — πράττοντα. 46 παραβαίνοντος — πράττοντος. 48 μηδεμία ἐπιθυμία. 46 κυρίων οὐσῶν τῶν συνθηκῶν. 49 τῶν συνθηκῶν ἐκ τῶν κοινῶν γραμμάτων.

Praeterea inveni:

Alliterationem cf. Rehdantz. Ind. I s. h. v. § 39 ἐγὼ ἐρῶ.

Parechesin (cf. Rehd. Ind. I s. h. v.) §§ 9 τὸν ἕτερον τοῦ ἑτέρου. 15 αὐτὸς δι' ἑαυτοῦ. 16 αὐτὸς αὐτοῦ. 18 αὐτὸς ἐφ' ἑαυτοῦ. 28 τοῦτον ταῦτ'. 45 αὐτὸς αὐτῷ. 54 ἑκὼν πρὸς ἑκόντα.[2]

Anaphora vel Epanaphora extat § 52 ἀδικεῖ μὲν ἐμέ, ἀδικεῖ δὲ τοὺς θεούς (Bl.); cf. praeterea § 55 πῶς γὰρ οὐκ ἀδικοῦνται ἢ πῶς οὐ δεινὰ πάσχουσιν — πῶς οὐκ ἐκεῖναι μᾶλλον ἔτι ἀδικοῦνται ἢ ἐγώ, 45 διὰ τί οὐκ ἐπεσκηψάμην — ἢ διὰ τί.

Antitheton vel Contrapositum, quod Uhle pag. 67 in or. XLVIII prorsus deesse dicit nescio an recte agnoscam §§ 27 κἀγὼ μὲν ἐπιδημῶν αὐτὸς παρέδωκα, τὰ δ' Ὀλυμπιοδώρου ἀποδημοῦντος τούτου ἅπαντα ᾤχοντο λαβόντες. 30 ἐὰν μὲν — ἐπιτύχῃ τοῦ ἀγῶνος, — ἐὰν δ' ἄρ' ἀποτύχῃ, 10 μηδ' ὁποτέρῳ ἰδίᾳ πρᾶξαι, ἀλλὰ κοινῇ βουλευόμενοι — ἅπαντα πράττομεν.

Valde infra Demosthenem est scriptor orationis nostrae figuris sententiarum, quas quam eximia arte ille et excoluerit et usurpaverit, nemini ignotum est. Ex figuris apud Demosthenem usitatissimis solae extant

Interrogatio quae dicitur rhetorica semel § 48 ἀλλὰ τί ταῦτα σπουδάζω (U.) et apostrophe vel aversus a iudice sermo bis §§ 41—43 extr., 44 extr. — 46 (parum accurate Uhle pag. 72 dicit §§ 41—47), hypophorae autem vel subiectionis, quae in Demosthenis orationibus saepissime reperitur, ne vestigium quidem deprehendimus. Occurrit praeterea prosopopoeia

[1] Cf. Rehdantz. Ind. I s. v. ὁμοιοτέλευτον.

[2] Cf. Weberum ad Aristocrateam pagg. 229—30.

semel § 57 *νομίσατε γὰρ ἐκείνας ἐνθάδε παρεῖναι* (Bl.), prodiorthosis (cf. Rehd. Ind. I s. h. v.) semel § 52 *ἀνιῶμαι μὲν οὖν καὶ αἰσχύνομαι, ὦ. ἄ. δ., οἷς μέλλω λέγειν πρὸς ὑμᾶς, ἐξ ἀνάγκης δέ μοί ἐστιν εἰπεῖν*, ironia semel § 28 *καὶ τὰ μὲν πραχθέντα ταῦτ' ἦν ἐν τῇ ἀποδημίᾳ τῇ Ὀλυμπιοδώρου, καὶ τῆς κοινωνίας τῆς πρὸς τοῦτον ταῦτ' ἐγὼ ἀπέλαυσα* (U.).

Sentis quam nudus hac ex parte orationis habitus sit. Deinde de origine Demosthenica haud parvam suspicionem mihi id movet, quod notissimae illae dicendi formulae et locutiones ad exornationem et amplificationem spectantes, quae in omnibus orationibus vere Demosthenicis sexcenties leguntur ac tot locis occurrunt, ut quasi in sucum et sanguinem summi oratoris transisse videantur, in hac oratione prorsus desunt; dico has potissimum formulas: *ἀλλ' ἐκεῖν' ἂν ἐροίμην ἡδέως αὐτόν — οὐ γὰρ ἐκεῖνο γ' ἔνεστιν εἰπεῖν — ἴστε γὰρ δήπου τοῦτ' — καὶ μὴν οὐδ' ἐκεῖν' ὀκνήσω εἰπεῖν — φέρε πρὸς θεῶν κἀκεῖνο σκέψασθε — σκέψασθε γὰρ ὡδί — καί μοι μηδεὶς θορυβήσῃ* vel *ἀχθεσθῇ ἐφ' οἷς μέλλω λέγειν — ταῦτα καὶ τοιαῦτα — εἰκότως* cum sequenti enuntiato causali — *θαυμάζω δ' αὐτοῦ ὅτι-δήποτε καὶ τολμήσει λέγειν περὶ τούτων* etc., etc.; deinde breves illas easque vividissimas interrogationes *τί δέ; τί γάρ; τί οὖν ἐστι τοῦτο;* al. porro responsiones[1] *οὐδ' εἷς δήπου — μηδαμῶς — οὐκ ἔστι τοῦτο — ἐγὼ μὲν γὰρ οἶμαι* sim. vel parentheses *ὡς ἐγὼ νομίζω, ὡς ἐγὼ πυνθάνομαι* sim.

Denique hoc loco pauca addam de affectibus concitatis (*πάθος*) et de affectibus compositis (*ἦθος*). In quos quantum industriae ac studii a scriptore orationis adversus Olympiodorum impensum sit, nemo non intelleget, qui vel leviter eam percurrerit. Praecipue affectibus compositis (*ἦθος*), quibus „mores et instituta et facta et vita eorum, qui causas agunt ad conciliandam iudicum benevolentiam probantur".[2] oratio summo opere abundat; singulos locos, ubi ei expressi sunt, diligenter collegit Uhle pag. 37. Vere iam Blass l. l. pag. 499 animadvertit in his affectibus compositis diligentissime expolitis

[1] De his brevibus interrogationibus et responsionibus cf. Schulzii prolegg. pag. 76.

[2] Cicero de or. II, 43, 182.

maximam, virtutem orationis poni neque improbabile esse Dionysium Halicarnassensem, item atque nostra aetate Weilium, hac ipsa virtute perductum esse, ut orationem in numero genuinarum haberet. Tamen si orationes vere Demosthenicas percensemus, paene omnia alia magis exculta et expolita invenimus quam affectus compositos. Quod iam antiqui rhetores animadverterunt, cum quod ad ἠθοποιίαν attinet Lysiam et Hyperidem Demostheni anteponant cf. Pseudo-Longin περὶ ὕψους 34, 2 (de Hyperide): ἠθικὸν ἔχει μετὰ γλυκύτητος ἡδὺ λιτῶς ἐφηδυνόμενον — ὁ δὲ Δημοσθένης ἀνηθοποίητος. Haud aliter indicat Blass l. l. pag. 169: „Wie wenig endlich Demosthenes von Haus aus für ethische Rede beanlagt und geschult war, sehen wir am deutlichsten in den Vormundschaftsreden, die in dieser Beziehung ganz den fertigen und geriebenen Redner zeigen und durchaus nicht den unerfahrenen treuherzigen Jüngling.“ Prorsus idem valet de plerisque aliis orationibus cum privatis tum publicis, ἠθικώταται ex omnibus sunt orationes pro Phormione et in Cononem habitae. Videmus igitur ne hac quidem ex parte orationem adversus Olympiodorum Demosthenis naturam et indolem exprimere.

Venio nunc ad tertiam elocutionis partem, ad Compositionem.

Quae quantopere in oratione XLVIII neglecta sit, statim apparebit, cum ea, quae de hiatu Benseler[1]) et de lege rhythmica Blass[2]) docuerunt paululum respexerimus. Ille enim nisus auctoritate Ciceronis (orat. 44, 51) singulis orationibus examinatis demonstravit „Demosthenem a foedioribus istis hiatibus, qui fiunt, quum vocales longae sive diphthongi in fine verborum aliis vocalibus in initio verborum, antecedunt, abstinuisse“. Atqui tales foediores hiatus in oratione XLVIII non minus quam centum sexaginta et tres inveniuntur, i. e. paene ternae in singulis paragraphis, nam octoginta et septem exemplis, quae Benseler l. l. pag. 142 ex priore parte orationis collegit, ex altera septuaginta et sex addi possunt.

[1]) In libro de hiatu in oratoribus Atticis et historicis graecis. Frib. 1841, pagg. 42 sqq.

[2]) De eloquentia Attica III, 1 pagg. 99 proxx.

Non maiorem rationem quam hiatus vitandi scriptor orationis nostrae habuit legis quae dicitur rhythmicae observandae. Ex hac lege a Blassio primo accuratius examinata Demosthenes cavet, ne plures quam duae breves syllabae deinceps sequantur. Quam legem auctor huius orationis omnino non nosse videtur; nam multis locis tres quattuor pluresque syllabas breves facit deinceps subsequentes cf. §§ 1 *ὑπο τινος ἀδικωνται — δια το μεγαλ᾽ ἀδικεισθαι*, 4 *παραγενομενων*, 7 *διελεγομεθα — διαλεγομενοι*, 16 *τις ἐγενετο*, 27 *ἐπεδικασαντο*, 38 *φησι με παραβεβηκεναι — διατελεσαι* etc.

Alia etsi minor diversitas inter nostrum et Demosthenem efficitur usu infinitivi loco substantivi positi et nominum propriorum.

Infinitivum articulo ornatum Demosthenes adeo in deliciis habet, ut in orationibus privatis in quinque fere paragraphis semel eum ponat.[1]) In oratione XLVIII septem exempla huius infinitivi reperiuntur, i. e. in octo fere §§ unum cf. §§ 1. 3. 19, 21, 23 (bis), 29; Uhle pag. 84 sqq.

Nomina propria Demosthenes multo saepius sine articulo quam cum articulo ponit, ita ut in orationibus privatis quinque fere nomina sine articulo respondeant uni cum articulo.[2]) In oratione XLVIII equidem numeravi viginti et sex nomina propria cum articulo, et sexaginta et septem sine articulo,[3]) ita ut duo fere nomina sine articulo respondeant uni cum articulo. Sed ex illis Uhle pag. 82 (auctore Schulzio pag. 49) recte monet secernenda esse ea nomina personarum, quibus

---

[1]) Cf. Siggii d. q. i. Der Verfasser neun angeblich von Demosthenes für Apollodor geschriebener Reden in annal. phil. suppl. VI, 429. Stix, Zum Gebrauch des Infinitiv bei Demosthenes, 1881.

[2]) Cf. Schulzii prolegg. pagg. 48—49. Sigg. l. l. pagg. 430 sqq.

[3]) Ex his quattuor nominum ea est condicio, ut articulo locus nullus sit § 14 *ὄνομα δὲ τῷ ἀνθρώπῳ ἐστὶ Μοσχίων* (praedicatum), § 41 cll. 43, 45 *ὦ Ὀλυμπιόδωρε* (vocativus). Haec quattuor nomina Uhle (l. l. pag. 77), qui 25 nomina propria cum articulo, 64 sine articulo numerat, consulto videtur omisisse, errat autem in eo, quod § 20 contineri dicit tria nomina personarum sine articulo et unum cum articulo; insunt potius duo cum articulo et duo sine eo, cf. *Ὀλυμπιοδώρου, Ὀλυμπιόδωρος — τοῦ Κόνωνος, ὁ Κάλλιππος.*

adversarius significetur, in hac oratione numero quadraginta et quattuor.[1]) Etenim nominibus adversariorum vulgo rarissime articulus adicitur. Uhle pag. 84 in decem orationibus suppositiciis, quas tractat XXXV, XXXXIII, XLVI -L, LII, LIII, LIX quattuordecim tantum locis articulum nomini adversarii adiectum invenit XLVII, 65, LII, 15 (bis), 20, 22, 28, LIX, 52 (? non invenire potui), 55 (bis), 59, 69, 72, XLVII, 63, LIX, 83. Equidem genuinas Demosthenis orationes privatas (XXVII—XXXI, XXXVI—XXXIV, XLI, XLV, LIV—LV, LVII) percurrens duobus tantum locis adversarii nomen articulo ornatum repperi XLI, 27 *ὁ μὲν γὰρ Σπουδίας*, LVII, 26 *τοῦ παιδὸς τοῦ Εὐβουλίδου*.[2]) Etiam in oratione [XXXIII] nomen adversarii articulo semper caret, v. Schulze, pag. 49. Videtur igitur paene in constanti oratorum usu fuisse, cum adversarium designant, articulum omittere.

Iamiam ut videamus num forte aliae diversitates inter nostram orationem et Demosthenis orationes privatas appareant, paulisper in nominibus adversariorum commoremur atque omnes locos, quibus nomina adversarii et in his et in illa leguntur, in medium proferamus.

In oratione XLVIII nomen adversarii obviam est quadragies et quater, i. e. in $1^1/_4$ fere §§ semel, atque id quindecim locis sine pronominibus *οὗτος* vel *οὑτοσί* cf. §§ 1, 2 ter, 4 bis, 28, 30, 31, 34, 35, (41),[3]) (43), (45), 56,

unde triginta autem locis cum his pronominibus coniunctum cf. §§ 5 bis, 13, 14, 16, 17, 18, 20 bis, 21, 22 bis, 23, 24, 25 bis, 26, 27, 28 bis, 29, 30, 31, 51, 53, 57 bis, 58 bis.

Plane aliam rationem sequi Demosthenem vides ex hac tabula. Legitur nomen adversarii

[1]) Uhle pag. 82 numerat quadraginta et duo, omissis tribus vocativis §§ 41, 43, 45 et adnumerato „Ὀλυμπιόδωρος“ § 6, quod tamen Σ non exhibet; debetur Bekkero et mg. Σ.

[2]) Non huc retulerim XXXVII, 38 *τῷ δὲ δανείσαντι Πανταινέτῳ* cum hic articulus necessario postuletur et XXXIX, 32 *ἔστι δ᾽ ὁ Βοιωτὸς ἀδελφοῦ τῆς τούτου μητρὸς ὄνομα*.

[3]) Eos locos, ubi pronominibus *οὗτος* (*οὑτοσί*) locus nullus esse potest, uncis includam.

	sine οὗτοσ(ί)	cum οὗτοσ(ί)	omnino
or.	XXVII, 1, 27, 34, 69	4	5 in 69 §§ i.e. in 14 fere §§ semel
„	XXVIII, 1, 4	—	2 „ 24 §§ „ „ 12 „ §§ „
„	XXIX, 1, 3, 15, (31) ter,[1]) 32	—	7 „ 60 §§ „ „ 8½ „ §§ „
„	XXX, 7, 8, 10, 19, 20, 26, 31	1	8 „ 39 §§ „ „ 5 „ §§ „
„	XXXI[2]) —	—	— — —
„	XXXVI, 3, 11, 14, 16, 18, 24, (54), 56, 60	2, 18, 22, 26, 28, 57	15 „ 62 §§ „ „ 4 „ §§ „
„	XXXVII, 2, 18, 34, (36), 44 bis, (55), 57	1, 4	10 „ 60 §§ „ „ 6 „ §§ „
„	XXXVIII, 1, (16), (24)	—	3 „ 28 §§ „ „ 9 „ §§ „
„	XXXIX, 1, (4), (5), (21) bis, (30) bis, (32) bis, (34), (35), (36), (37) ter, (38) ter, (39)	25, 27, 28	22 „ 41 §§ „ „ 2 „ §§ „
„	XLI, 5, 7 bis, 8, 12, (16), 19, 24 bis, (26), 27, 29	1, 4 bis	15 „ 30 §§ „ „ 2 „ §§ „
„	XLV —	2, 5, 7, 36, 40, 53, 56, 58	8 „ 88 §§ „ „ 11 „ §§ „
„	LIV, 13, 16, 20, (31) ter,[3]) 32, 40, (40), 41 bis, 43 bis	1, 3, 7, 8, 15, 24, 39, 42	21 „ 44 §§ „ „ 2 „ §§ „
„	LV, 1, 3, (5), 12, 16, 18, 20, (29), 33	—	9 „ 35 §§ „ „ 4 „ §§ „
„	LVII, 1, 4, 15, 16, 26, 30, (31), (32), 48, 59, 60 bis	8, 61	14 „ 70 §§ „ „ 5 „ §§ „

Sentis in plerisque orationibus privatis Demosthenis nomen adversarii longe rarius extare quam in nostra, in nulla toties quoties in hac. Quod in oratione XXXIX adversus Boeotum de nomine nomen *Βοιωτός* saepe legitur non mirum est, quia cardo causae in hoc ipso nomine versatur. Etiam oratio XXXVI pro Phormione proprie huc non referenda est, quia defensio est (*ὑπέρ τινος*) itaque plus ponderis in nomine rei Phormionis quam adversarii Apollodori iacet. Phormionis nomen legi septiesdecies.

Praeterea Demosthenis orationes ab or. XLVIII eo aliquanto differunt, quod in illis nominibus adversariorum pronomina *οὗτος*, *οὑτοσί* multo rarius adduntur quam in hac. In

[1]) Laudatur libellus.

[2]) Haec oratio deuterologia est.

[3]) Laudatur testimonium.

or. XLVIII. ut supra vidimus, nomen Olympiodori pronominibus οὗτος, οὑτοσί ornatum est undetricies, non ornatum est quindecies vel detractis locis inclusis duodecies; in Demosthenis orationibus nomina adversariorum pronominibus illis carent centies quinquies vel detractis locis inclusis duodeseptuagies, non carent triciesquater.

Idem fere quod de nominibus adversariorum valet etiam de allocutione iudicum;[1]) haec quoque in oratione nostra saepius legitur quam in Demosthenis orationibus privatis. Noster iudices alloquitur in duodesexaginta §§ septies et tricies (cf. Uhle. l. l.), i. e. in $1\frac{2}{3}$ fere §§ semel, ac semper eadem formula ὦ ἄνδρες δικασταί. Demosthenes iudices alloquitur

formula ὦ ἄνδρες δικασταί	formula ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι	omnino
12 or. XXVII, 1, 2, 3, 4, 7, 9, 12, 30, 34, 40, 57, 68	—	in 69 §§ 12 i.e. in 6 fere §§ semel
3 „ XXVIII, 15, 19, 22	—	„ 24 §§ 3 „ „ 8 „ §§ „
11 „ XXIX, 1, 2, 4, 6, 11, 15, 19, 25, 30, 42, 49	—	„ 60 §§ 11 „ „ $5\frac{1}{2}$ „ §§ „
13 „ XXX, 1, 3, 6, 9, 12, 16, 19, 25, 26, 33, 34, 35, 37	—	„ 39 §§ 13 „ „ 3 „ §§ „
1 „ XXXI, 1	—	„ 14 §§ 1 „ „ 14 „ §§ „
2 „ XXXVI, 17, 28	24 1, 4, 11, 14, 18, 19, 22, 23, 25bis, 26bis, 29, 30, 32, 33, 36, 40, 51, 54, 55, 57bis, 59	„ 62 §§ 26 „ „ $2\frac{2}{5}$ „ §§ „
5 „ XXXVII, 1, 2, 4, 43, 55	5 13, 15, 19, 21, 39	„ 60 §§ 10 „ „ 6 „ §§ „
7 „ XXXVIII, 1, 4, 5, 17, 18, 25, 28	—	„ 28 §§ 7 „ „ 4 „ §§ „

[1]) De allocutione in universum conferas Doberentzium in Voemelii prolegg. grammat. ad Demosth. contiones § 13.

formula ὦ ἄνδρες δικασταί	formula ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι	omnino
2 or. XXXIX, 1, 3	8 18, 19, 20, 21, 27, 29, 37, 41	in 41 §§ **10** i.e. in **4** fere §§ semel
20 „ XLI, 1 bis, 2, 5 bis, 7, 8, 9, 11, 12, 13, 15, 18, 19, 20, 22, 23, 27, 29, 30	—	„ 30 §§ **20** „ „ **$1\frac{2}{3}$** „ §§ „
9 „ XLV, 3, 4, 9, 20, 32, 57, 61, 62, 70	**21** 1, 5, 6, 12, 14, 23, 24, 27, 28, 40, 51, 53, 59, 63, 66, 67, 71, 77, 80, 82, 83	„ 88 §§ **30** „ „ **3** „ §§ „
11 „ LIV, 1, 10, 15, 21, 26, 36, 38, 39, 41, 42, 44	**1** 1	„ 44 §§ **12** „ „ **4** „ §§ „
11 „ LV, 11, 16, 18, 19, 22, 24, 25, 28, 31, 33, 35	9 1, 3, 7, 8, 9 bis, 12, 14, 15	„ 35 §§ **20** „ „ **$1\frac{3}{4}$** „ §§ „
14, (15) „ LVII, 1 bis, 2, 4, 8, 15, 16, 20, 36, 47, 50, 60, 64, 70 § 17 ἄνδρες δικασταί	**20** 6 bis, 8, 22, 30, 32, 35, 37, 43, 44, 45, 47, 48, 50, 56 bis, 58, 59, 60, 62	„ 70 §§ **35** „ „ **2** „ §§ „

Ex hac tabula elucet Demosthenem iudices paulo rarius alloqui quam auctorem or. XLVIII; si omnes orationes privatas complectimur in tres fere paragraphos una cadit allocutio [1] (in 664 §§ inveniuntur 210 allocutiones). Praeterea notandum est Demosthenem in omnibus orationibus, exceptis orr. XXXVIII, XLI et orationibus tutelaribus, quas adulescens composuit, variare inter formulas ὦ ἄνδρες δικασταί et ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, cum in nostra oratione sola formula ὦ ἄνδρες δικασταί reperiatur.

Extremo loco pauca disseram de conexione, structura, compositione sententiarum.

---

[1]) Sigg. l. l. pag. 419 dicit in quattuor paragraphos cadere unam allocutionem, neque vero respexit orationes XXXVII, XXXVIII, XXXVIIII, XXXXI, LV quas nullis argumentis allatis Demostheni abiudicat.

Sententiarum conexio simplicissima est ac fere omni varietate arte elegantia caret.

Perpaucas tantum particulas ad nectendas sententias scriptor orationis XLVIII adhibet, omnium saepissime utitur particula *καί*, quae interdum adeo coacervata est, ut summum taedium excitet, cf. imprimis §§ 15, 20, 21, 24, 29, 32, 38, 46. Novas sententias *καί* introducit non minus quam centum quadraginta duas, novas periodos quadraginta cf. §§ 5 bis, 6, 7, 8, 9, 11, 12, 14, 15 quater, 16, 17 bis, 18, 19, 20, 21 bis, 22, 23, 24 bis, 27, 28, 29, 31 bis, 32, 33, 38, 44 bis, 49, 51 bis, 56, 58.[1]) Quod quam non ex more dicendi Demosthenis sit, perspicue inde apparet, quod v. c. in oratione XXXVI, quae paulo longior nostra est (62 §§), particula *καί* duodecim tantum novas periodos incipit (cf. §§ 4, 6, 9, 9 (*καὶ μήν*), 15, 27, 29, 30, 45, 50, 55, 59), in oratione LIV (44 §§) decem periodos (cf. §§ 2, 8, 9, 9, 12, 22 (*καὶ γάρ*), 25 (*καὶ μήν*), 27, 33, 41).

Praeter particulam copulativam *καὶ* ad nectendas periodos noster adhibet particulam *δέ* quadragies ter, *γάρ* duodecies, *οὖν* undecies, *δή* quater, *ἀλλά* ter, *ὥστε* bis et nonnullas alias. Uno tantum loco § 56 extat particula *τοίνυν*, id quod eo magis notandum est, quod haec particula Demostheni in orationibus iudicialibus in summis deliciis est. Omnes locos, ubi legitur, diligenter collegit Rosenberg i. d. q. i. die partikel *τοίνυν* in der attischen Dekas. Annal. phil. CIX, 1874, pag. 109 sqq. Ex tabula ab hoc viro docto proposita apparet particulam *τοίνυν* in Demosthenis orationibus privatis (664 §§) omnino legi centum et nonaginta locis, i. e. in tribus fere parapraphis semel. Mirum igitur in modum usu huius particulae oratio nostra discrepat ob orationibus vere Demosthenicis.

Deinde scriptoris orationis XLVIII proprium est singulas sententias inter se quasi concatenare, ita ut verbum aliquod ex antecedenti periodo promat et initio sequentis inserat. Blass l. l. pag. 500 affert haec exempla: §§ 25 sqq. *ἔπεισαν τοὺς δικαστὰς ψηφίσασθαι —. ψηφισαμένων δὲ ταῦτα*

---

[1]) Uhle l. l. pag. 89 numerat undequadraginta periodos, sed quadraginta profert exempla; in his corrigas 15 ter in 15 quater, 22 bis in 22.

τῶν δικαστῶν διέγραψεν ὁ ἄρχων —. διαγραφείσης δὲ ταύτης ἐπεδίκασεν ὁ ἄρχων —. ἐπειδὴ δ' ἐπεδικάσαντο — § 16 *ὑποψία τις ἐγένετο —. ἐκ δὲ ταύτης τῆς ὑποψίας — βασανίζειν τὸν ἄνθρωπον, καὶ ὁ ἄνθρωπος —* § 17 *καὶ ἀποδίδωσι περὶ ἑξακοσίας τινὰς δραχμάς. καὶ τούτου τοῦ ἀργυρίου οὗ ἀπέδωκεν —*

His adde: § 1 *διὰ τὸ μεγάλ' ἀδικεῖσθαι. εἰ μὲν οὖν μὴ ἀδικούμενος* § 7 *διελεγόμεθα ἡμῖν αὐτοῖς — περὶ τούτων διαλεγόμενοι* § 12 *διεῖλον ἐγὼ δύο μερίδας —. διελὼν δ' ἐγὼ τὰς δύο ταύτας μερίδας* § 5 *ἦν γάρ ὦ. ἄ. δ. Κόνων Ἁλαιεύς —. οὗτος ὁ Κόνων* § 20 *διελεγόμην τούτῳ Ὀλ. —. οὑτοσί δὲ Ὀλ. —* § 21 *καὶ ἐμοὶ ἀνάγκη ἦν ταῦτα συγχωρεῖν, καὶ συνεχώρησα.* § 25 *ὑπωμοσάμεθα ἡμεῖς τουτονὶ Ὀλ. —. ὑπομοθέντος δὲ τούτου* § 28 *ἠγανάκτει Ὀλ. οὑτοσί —. ἐπειδὴ δὲ μεστὸς ἐγένετο ἀγανακτῶν* § 31 *μετὰ ταῦθ' ὁ ἄρχων ἀνέκρινε — καὶ ἀνακρίνας* § 31 *ἐνίκησεν οὗτος ῥαδίως· νικήσας δέ* § 32 *συνθήκας πρός με ποιησάμενος —. καὶ αἱ συνθῆκαι αὗται* § 48 *τοῦτον προὐκαλεσάμην —. ταῦτα δ' ἐμοῦ προκαλουμένου* § 53 *περαιτέρω μαίνεσθαι. πῶς γὰρ οὐ μαίνεται* § 54 *αὗται γάρ εἰσιν αἱ ἀδικούμεναι —. πῶς γὰρ οὐκ ἀδικοῦνται —*

Intellegis hac consuetudine facilem orationis decursum molestissime retardari, cum omnia bis dici necesse sit. Apud Demosthenem in orationibus privatis talia perraro legi, cf. v. c. or. XXXVI, 5 *πλέον ἢ πεντήκοντα τάλαντα. ἐν οὖν τοῖς πεντήκοντα ταλάντοις τούτοις*, XLI, 3 *Πολύευκτος γὰρ ἦν τις Θριάσιος —. οὗτος ὁ Πολύευκτος*, XXXVII, 4 *συνελθεῖν δ' ἔφη —. ὡς δὲ συνήλθομεν*, ibid. 23, 40.

Alia non minus molesta consuetudo auctoris orationis XLVIII est, ut ea quae dixit iterum iterumque recapitulet atque in memoriam auditoris revocet, non modo in fine maiorum partium orationis, ubi recapitulationes plane suo loco sunt atque etiam alias frequentissime leguntur, sed etiam in ipso orationis decursu. Conferas quaeso § 18 *ἐκ ταύτης τῆς ὑποψίας τῆς πρὸς τὸν οἰκέτην περὶ τοῦ ἀργυρίου οὗ ἀπέδωκεν,* § 19 *κατὰ τὰς συνθήκας τὰς πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς περὶ τοῦ ἰσομοιρεῖν ἁπάντων*

ὧν Κόνων ἦν καταλελοιπώς, § 27 πλὴν τοῦ ἀργυρίου οὗ εἶχεν αὐτὸς παρὰ τοῦ ἀνθρώπου τοῦ οἰκέτου ὃν ἐβασάνισεν, § 44 καὶ τὸ ἀργύριον ὃ ἔλαβον, τὸ ἥμισυ τὸ ἀπὸ τῶν χιλίων δραχμῶν τῶν παρὰ τοῦ οἰκέτου. Leviora sunt § 43 ἐν τῷ τελευταίῳ ἀγῶνι τῷ περὶ τοῦ κλήρου, § 46 τῷ Ἀνδροκλείδῃ τῷ ἔχοντι τὰς συνθήκας, § 17 κατὰ τοὺς ὅρκους οὓς ὠμόσαμεν ἡμεῖς καὶ κατὰ τὰς συνθήκας τὰς κειμένας παρὰ τῷ Ἀνδροκλείδῃ.

Huc pertinent etiam brevia illa enuntiata saepissime in orationem inserta, quae pronomine οὗτος introducta antecedentia breviter complectuntur. Uhle l. l. pag. 61 collegit haec exempla: § 14 καὶ ταῦτ᾽ ἐστὶν ἃ ἑκάτερος ἡμῶν εἶχεν. § 28 καὶ τὰ μὲν πραχθέντα ταῦτ᾽ ἦν, ibid. καὶ τῆς κοινωνίας τῆς πρὸς τοῦτον ταῦτ᾽ ἐγὼ ἀπέλαυσα. § 38 καὶ ἃ μὲν προφασίζεται ταῦτ᾽ ἐστι. § 56 Ὀλ. μὲν τοίνυν τοιουτοσί ἐστιν ἄνθρωπος. His adde: § 15 καὶ ταῦτα ποιῶν ἐλάνθανε τὸν Κόνωνα. § 47 ταῦτ᾽ ἐχρῆν αὐτόν, ὦ. ἄ. δ. — διαμαρτύρασθαι. § 24 καὶ συνεβεβήκει, ὥςπερ οἰόμεθα ἡμεῖς, αὕτη καλλίστη ἀναβολή. Similia quamquam non nego apud Demosthenem hic illic legi, tamen vix usquam in tam brevi spatio stipata invenies.

Ut conexio, ita structura et compositio sententiarum saepenumero reprehendendi ansam praebet. Liceat mihi hic gravissima vitia partim iam a Schaefero, Blassio, Uhleo notata, ex paragraphorum ordine breviter enumerare:

§ 1 ἐπειδὰν ὑπό τινος ἀδικῶνται, ἄλλως τε καὶ ὑφ᾽ ὧν —

Repentina numeri mutatio, quae per ellipsin videtur explicanda esse „ἄλλως τε καὶ ὑπό τινος τούτων, ὑφ᾽ ὧν κτλ. Numerus mutatur praeterea § 18 ἡμᾶς δὲ οὐ παρεκάλεσεν, ὀμωμοκὼς κοινῇ — πράξειν μετ᾽ ἐμοῦ πάντα, § 44 καὶ οὐ μόνον ἔλεγε ταῦτα, ἀλλὰ καὶ μαρτυρίας παρείχετο περὶ τούτου.

§ 3 δέομαι οὖν ὑμῶν ὦ. ἄ. δ. — ὑμᾶς γενέσθαι — ὑμᾶς προςθέσθαι.

Male me habet duplex ὑμᾶς, praecipue alterum. Utrumque post praecedens ὑμῶν superfluum est. Similia additamenta inania inveniuntur § 13 διελὼν δ᾽ ἐγὼ τὰς δύο ταύτας μερίδας ἔδωκα αἵρεσιν — ὁποτέραν βούλεται τῶν μερίδων λαβεῖν· τῶν μερίδων superfluum est. § 28 ἐπειδὴ δ᾽ ἐπεδήμησεν οὗτος καὶ οἱ ἄλλοι στρατιῶται ἠγανάκτει Ὀλ. οὑτοσί. Pessime

se habet repetitum Ὀλ. οὑτοσί, § 58 ἱκετεύομεν ὑμᾶς — ὑμᾶς μεμνημένους — ψηφίζεσθαι. Alterum ὑμᾶς plane otiosum est.

§ 10 οἷον καὶ ὁ ἐμὸς ἀδελφὸς ὁμοπάτριος μέν, ὁμομήτριος δ' οὔ, ὃς ἀπεδήμει, καὶ εἰ δή τις ἄλλος ἐβούλετ' ἀμφισβητεῖν, οὐκ ἐνῆν ἡμῖν κωλύειν.

Coepta structura omittitur per ἀνακόλουθον. Haec neglegentia, quam Demosthenes perraro, in orationibus privatis rarius etiam quam in publicis admisit,[1]) in or. XLVIII quater legitur. Praeter hunc locum § 33 βούλομαι δὲ καὶ περὶ τῶν ἄλλων — μαρτυρίας ὑμῖν παρασχεῖν, πρώτιστον μὲν τὸ ἐξ ἀρχῆς, ὅτι —, § 40 πρῶτον μὲν οὖν, ὦ. ἄ. δ., λέγω, ὅτι οὗτος διὰ τοῦτο — οὐκ ἠθέλησεν ἐπιτρέψαι· ἀκριβῶς γὰρ ᾔδει —, § 54 πῶς γὰρ οὐ μαίνεται, ὅστις οἴεται δεῖν, ἃ μὲν ὡμολόγησε —. τούτων μὲν μηδ' ὁτιοῦν ποιεῖν. — Utrique μὲν nihil respondet. Cf. G. H. Schaeferum ad hunc locum.[2])

§ 18 οὐ πολλῷ χρόνῳ ὕστερον ἐκ ταύτης τῆς ὑποψίας.

Pronomen ταύτης non habet ad quod apte referatur; nam in eis quae haec verba proxime praecedunt de suspicione in servum illum non res est atque is locus, ubi haec suspicio memoratur, § 16, longius abest quam ut pronomen ταύτης ad eum referri possit. Itaque rectius diceretur ἐκ τῆς ὑποψίας τῆς πρὸς τ. οἰκέτην vel ἐξ ἐκείνης cet.

Pronomen ἐκεῖνος, ut hoc statim inseram, in oratione XLVIII uno tantum loco extat § 32 ὅσα ἦσαν ἐκεῖνοι παρ' ἡμῶν εἰληφότες. Demosthenem animadvertisse mihi videor hoc pronomen longe magis adamare, praecipue in orationibus publicis; v. c. in centum primis paragraphis Leptineae quadragies quater legitur, i. e. in duabas fere §§ semel (cf. §§ 2 bis, 5, 6, 7, 8, 16, 18, 22, 23, 25, 31, 32 bis, 35, 36, 38, 43, 55, 56, 57, 62, 62 ter, 64, 65, 69, 72 bis, 73, 81 ter, 82 bis, 83 bis, 84, 86 ter, 89, 99). Constanter fere usurpatur in formulis illis

---

[1]) Hoeck, de Demosthenis adversus Pantaenetum oratione, Berol. 1878, pag. 21 ἀνακόλουθον laudat ex huius orationis § 40, quod tamen „maxime excusatur summa animi perturbatione, quam locus ille prae se fert". - De anacoluthis cf. Weberum ad Aristotr. p. 538. Sigg. l. l. p. 425.

[2]) Anacoluthon quod Uhle § 47 statuit ταὐτ' ἐχρῆν αὐτόν κτλ. equidem invenire non possum.

usitatissimis de quibus supra disputavimus, *ἀλλ' ἐκεῖν' ἂν ἐροίμην αὐτόν, οὐ γὰρ ἐκεῖνό γ' ἔνεστιν εἰπεῖν, ἀλλ' ἴσμεν ἐκεῖνο δήπου* sim.[1]) Paulo rarius est in orationibus privatis neque tamen in ulla tam rarum quam in or. XLVIII; velut in oratione XXVII (69 §§) legitur vicies, in or. XXIX (60 §§) terdecies, in or. XXX (39 §§) novis, in or. XXXVI (62 §§) duodevicies, in or. XXXVII (60 §§) duodevicies.

§ 30 *ὅπως — ἐγὼ — τὸ μέρος λάβοιμι — οὗτος ἀπολαμβάνοι.* Tempus repentino mutatur; idem fit § 32 *ὀμωμοκὼς καὶ συνθήκας πρός με ποιησάμενος*, § 44 *ὅτι ἐγώ — μεμισθωμένος εἴην — καὶ — ἐδανεισάμην*, § 58 *ἀντιβολοῦμεν — πεῖσαι — ψηφίζεσθαι.* Cf. Uhleum pag. 97. Idem v. d. pag. 45 summo iure reprehendit structuram sententiarum § 35 *ὃν μὲν τρόπον — εἴχομεν*, et §§ 46—47 *ἐχρῆν γὰρ αὐτόν — διαμαρτύρασθαι.*

Maxima cernitur neglegentia etiam § 38 *καὶ ἃ μὲν προφασίζεται, ταῦτ' ἐστι . ἃ μὲν οὖν, ὦ. ἄ. δ. οὗτος λέγει, ὑπόνοιαι πλασταί εισι —. ἃ δ' ἐγὼ ἐρῶ — ταῦτα δὲ ὑπόνοια μὲν οὐδεμία ἔσται*, cf. A. Schaeferum l. l. —

§ 38 *ἐπειδὰν δέ τις αὐτὸν τῶν ἐπιτηδείων τῶν τούτου καὶ τῶν ἐμῶν ἐρωτᾷ.* Displicet mihi pronomen *τούτου* statim post praecedens *αὐτόν* positum. —

§ 41 *πάλιν λέγω ὅτι οὐκ ἀκόλουθόν ἐστιν ὑπεναντία μὲν πράττειν σοι, ὦ Ὀλυμπιόδωρε, ἐμέ, κοινῇ δ' ἀναλίσκειν μετὰ σοῦ εἰς ὅ τι ἂν ἀεὶ δέῃ, οὐδ' ἐκλιπεῖν τὴν ἀμφισβήτησιν κτλ.* Audacior sententiarum structura per ellipsin explicanda, quam G. H. Schaefer recte sic resolvit: *οὐδ' ἀκόλουθόν ἐστιν ὑπεναντία μὲν πράττειν σοι ἐμέ, ἐκλιπεῖν δέ κτλ.* —

Inconcinnitas quaedam mihi inesse videtur in ea enuntiatione, quae legitur extrema § 51 *ἐὰν δὲ μὴ ἐθέλῃ — ὡς ὑγιές τι λέγοντος.* Pendent hic ex enuntiato principali *οὐκ ἤδη καταφανὴς ἔσται* duo enuntiata secundaria, quorum tamen alterum *καὶ δικαίως κτλ.* minus quadrat ad verbum regens *καταφανὴς ἔσται.* Similiter res se habet § 50 *πῶς ἂν οὖν μᾶλλον — ὑμᾶς ἀκοῦσαι.* Enuntiatum *τὰς δὲ συνθήκας κτλ.* mihi periodi concinnitatem videtur turbare.

[1]) Cf. Weber. ad Aristocr. pag. 429.

§ 57 *περὶ μὲν οὖν τούτων καλῶς ὁ νομοθέτης ἐπεμελήθη, ἐγὼ δ' ὑμῶν δέομαι.*

Pessima transitionis formula, quam iam Blass l. l. in structuris reprehendendis rettulit. Idem iure suo offendit in primo enuntiato § 2 *εἰ μὲν οὖν — ᾐσχυνόμην.* Apertum est hanc periodum sensu carere; nam duo enuntiata participialia particulis *ἢ — ἤ* introducta minime quadrant ad ea, quae praecedunt participia, quibus coordinata sunt *μὴ ἀδικούμενος — ἀλλὰ ψεῦδός τι ἐγκαλῶν.*

Sed haec sufficiant. Satis demonstrasse mihi videor orationem adversus Olympiodorum habitam omnibus ex partibus Demosthene prorsus indignam esse. Intelleximus eam tanta multitudine vitiorum et neglegentiarum cuiusvis generis squalere ac tantam copiam rerum ab usu Demosthenico longissime recedentium continere, ut vix dubium esse possit, quin alii scriptori tribuenda sit. Ut Weilio concedamus magnam partem illorum mendorum ex *ἠθοποιίας* studio explicandam esse, Demosthenis certe non est ad efficiendam *ἠθοποιίαν* vitioso genere scribendi uti.

Quisnam auctor orationis fuerit, quamquam dicere non possum, tamen id videtur constare logographum aequalem, non rhetorem eum fuisse; hoc tota orationis indoles satis indicat neque unquam a quoquam in dubium vocatum est. Item paene pro certo affirmari potest orationem adversus Olympiodorum ab eodem scriptore compositam esse a quo orationes adversus Macartatum [XXXXIII] et adversus Lacritum [XXXV]; quod de illa primus coniecit A. Schaefer l. l. pag. 240, de hac Blass l. l. pag. 499 sqq., de utraque autem pluribus demonstravit Uhle.[1]) Utrum orationes, quae dicuntur Apollodoreae cum

[1]) Locos qui inter has tres orationes occurrunt simillimi Uhle enumerat in fine commentationis suae. Addi possunt haece similitudines: L., 6 *ὡς οἷόν τε* c. superl. = O., 2, 6, M., 32; L., 32 *προφάσεις λέγειν* = O., 50; L., 5 cl. 24, 35 *ἡ μὲν τουτοὺ Λακρίτου πονηρία τοιαύτη ἐστίν* = O., 56; L., 27 *καταγιγνώσκω* = O., 50 cl. 51, 55, M., 42; L., 21 *εὐθὺς ἀπὸ τοῦ πρώτου* cl. 27, 39 = O., 40, 33. — O., 1 *ἀναγκαῖον ἴσως ἐστίν* = M., 18; O., 30 *ἐὰν δ' ἄρ' ἀποτύχῃ* = M., 12; O., 25 *ἔπεισαν τ. δ. ψηφίσασθαι — ψηφισαμένων δὲ τ. τ. δ.* = M., 14 *καὶ οἱ φράτερες — ἐψηφίσαντο — ψηφισαμένων δὲ τ. τῶν φρ.*; O., 53 *γυναῖκα μὲν ἀστὴν κατὰ τ. νόμους τ. ὑμ. οὐδεπ. ἔγημεν* =

Uhleo alii scriptori an cum Blassio eidem scriptori assignandae sint cui orationes XLVIII, XLIII, XXXV non ausim diiudicare.

Denique facere non possum quin moneam similitudines quasdam, quae nescio num fortuitae sint, intercedere inter nostram orationem et or. [XL] (*πρὸς Βοιωτὸν περὶ προικός*):

XLVIII, 1 *ἀναγκαῖον ἴσως ἐστί — εἰςιέναι εἰς δικαστήριον — οἷον καὶ ἐμοὶ νυνὶ συμβαίνει.*	XL, 1 *Πάντων ἐστιν ἀνιαρότατον — εἰςιέναι εἰς δικαστήριον, ὃ νῦν ἐμοὶ συμβέβηκεν.*
2 *νῦν δ᾽ οὔτε μικρὰ ἐλαττούμενος.*	53 *Τοσαῦτα τοίνυν ἐμοῦ ἐλαττουμένου φανερῶς.*
3 — *ὅτι οὐκ ἐγὼ αἴτιος εἶμὶ τοῦ εἰς τὸ δικαστήριον εἰςιέναι, ἀλλ᾽ οὗτος αὐτός.*	5 — *ὅτι ἐγὼ οὐκ αἴτιός εἰμι, ἀλλ᾽ οὗτοι.*
5 — *ἐτελεύτησεν ὀλίγον πάνυ χρόνον ἀρρωστήσας.*	13 *οὐ πολλοῖς ἔτεσιν ὕστερον ἀρρωστήσας ἐτελεύτησεν.*
27 *ἀνάγκη γὰρ ἦν πείθεσθαι τοῖς νόμοις.*	13 *νομίζων δ᾽ ἀναγκαῖον εἶναί μοι πείθεσθαι τοῖς νόμοις τοῖς ὑμετέροις.*
26 *ἠγανάκτει Ὀλ. οὑτοσί, ὦ.ἄ.δ., ἐπὶ τοῖς συμβεβηκόσι καὶ ἡγεῖτο δεινὰ πεπονθέναι.*	11 *ἐπὶ μὲν τοῖς γεγενημένοις ἠγανάκτει καὶ βαρέως ἔφερε.*
35 *καὶ λόγῳ ἀκηκόατε καὶ μεμαρτύρηται ὑμῖν.*	19 *ὅτι μὲν τοίνυν — καὶ μεμαρτύρηται ὑμῖν καὶ ἐπιδέδεικται.*[2])
40 *ἀκριβῶς γὰρ ᾔδει ὅτι εὐθὺς παραχρῆμα ὑπ᾽ αὐτῶν ἐξελεγχθήσεται ἐάν τι ψεύδηται, νυνὶ δ᾽ ἴσως ἡγεῖται ψευδόμενος ἐν ὑμῖν λήσειν.*[1])	21 *ἀλλ᾽ ἀκριβῶς εἰδὼς ὅτι ὁμολογῶν μὲν ἀδικεῖν ἐν ὑμῖν οὐδείς πω ἀπέφευγε, ψευδόμενος δὲ καὶ παραγωγὰς λέγων ἤδη τις δίκην οὐκ ἔδωκεν.*
51 *καὶ δικαίως οὐδ᾽ ἂν ὁτιοῦν ἀποδέχοισθε τούτου ὡς ὑγιές τι*	38 *ὥστε περὶ μὲν τούτων ἂν ἐπιχειρῇ λέγειν, οὐκ οἶμαι ὑμᾶς ἀπο-*

M., 19; O., 46 *ᾧ καὶ γνώσεσθε τουτονί, ὅτι κτλ.* = M., 23 *καὶ αἰσθήσεσθε τούτους, ὅτι κτλ.*; O., 40 *πρῶτον μὲν λέγω — πάλιν λέγω* = M., 22 cl. 25, 48 cl. 49; O., 42 *ὑπεραβέλτεροι* = M., 29 cl. 65, 69; O., 33 *βούλομαι δὲ — πρώτιστον μέν, ὅτι* = M., 31; O., 3 *τῷ τ. δίκαια λέγ., τούτῳ τ. ψῆφον ὑμ. προςθέσθαι* = M., 34 *καὶ ὁπότερος κτλ.*; O., 56 *οὐδεὶς πώποτε ἀνθρώπων* = M., 34; O., 44 *κατεχρήσατο, ὅτι* = M., 38, L., 44; O., 43 *ἔτι πρὸς τούτοις* = M., 74; O., 19 *διοικήσειν, ὅπως* = M., 75; O., 33 *πρώτιστον μέν* = M., 75; O., 50 *πῶς ἂν οὖν μᾶλλον* = M., 76.

[1]) Eadem sententia isdem fere verbis expressa legitur etiam or. XLI, 29 *διὰ ταῦτα μέντοι κτλ.* Praeterea conferas huius orationis § 2 *καὶ εἰ μέν κτλ.* cum or. XLVIII § 2.

[2]) Cf. [LIX], 49 *τῷ τε λόγῳ ἀποφαινω ὑμῖν καὶ μεμαρύρηται.*

λέγοντος, 52 οὐδὲ γὰρ αὐτὸς ἀγνοεῖ — ὅτι ἀδικεῖ.

§ 50 cl. 51, 55 καταφανής.

55 ἵνα δὲ μὴ φάσκῃ, ὦ. ἄ. δ., ἐπὶ διαβολῇ ταῦτα [λέγειν με τοῦ ἀγῶνος ἕνεκα τουτουί, μαρτυρίαν ὑμῖν ἀναγνώσεται.

6 ἀναισχυντεῖν ἐπεχείρει.

δέξεσθαι, 21 οὔτ' ἀγνοῶν ὡς οὐδὲν ὑγιὲς λέγει.

3 καταφανές v. supra pag. 62.

33 Ἵνα δὲ μὴ δοκῶ διαβάλλειν αὐτόν ἀνάγνωθι μοι τὰς μαρτυρίας.

29 ὥστ' ἐὰν μὲν ἐπιχειρῇ ταῦτα λέγειν, μὴ ἐπιτρέπετε ἀναισχυντεῖν.

Etiam cum oratione XXXV (in Lacritum) intercedunt orationi XL aliquot similitudines; imprimis color et habitus utriusque orationis mihi nonnullis locis videtur simillimus esse. Vid. v. c. or. XXXV, 39 extr., 40 extr., 46 in., 52 in. et XL, 53 med., 57 extr., 61 med. Sed hac de re fusius disputandi mihi fortasse postea occasio offeretur.

Vita.

Natus sum Conradus Rüger Brandisiae VIII. die mensis Aprilis anni h. s. LXII patre Roberto, quem adhuc superstitem esse valde laetor, matre Agnesa e gente Streckfuss, quam mihi ante tredecim annos morte ereptam lugeo collacrimoque.

Litterarum rudimentis imbutus Rochlitziae, in quam urbem parentes anno LXVII transmigraverant, inde ab anno LXXV usque ad annum LXXXI alumnus fui illustris apud Grimam Moldani, rectore Aemilio Muellero praeceptoribus Dintero, Wundero, Kochio, Gastio, Weinholdio, quibus viris cum omnibus tum imprimis Muellero rectori piam gratamque in omne tempus servabo animam.

Maturitatis testimonium adeptus Lipsiam me contuli, ut philologiae studiis operam navarem. Ubi per octo semestria adii scholas, quas habuerunt viri illustrissimi Curtius, Eckstein, Gardthausen, Heinze, Lange, Lipsius, Noorden, Ribbeck, Struempell, Voigt, Wenck, Windisch, Wundt, Zarncke. Proseminarii philologici exercitationibus interfui per IV. semestria, seminarii historici exercitationibus per II semestria, seminarii philologici sodalis fui ordinarius per II semestria. Praeterea frequentavi societatem Ribbeckianam, societatis graecae Lipsii, seminarii paedagogici Ecksteinii, seminarii germanici Zarnckii etiamnunc sum sodalis.

Omnibus his viris illustrissimis et optime de me meritis gratias ago quam maximas semperque habebo.